Reverendi Viri

D. NICOLAI CICHOVII,

Societatis

Quæ Iesu nomen præfert, Centuria Argumentorum Cæsa.

Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum, & Christum, eum Deus fecit, hunc Iesum quem vos crucifixistis.
Actor. II. 36.

Anno Domini 1652.

Reverendi Viri

D. NICOLAI CICHOVII,

Societatis

Quæ Ieſu nomen præfert, Centuria Argumentorum Cæſa.

Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël, quia & Dominum, & Chriſtum, eum Deus fecit, hunc Ieſum quem vos crucifixiſtis.
Actor. 11. 36.

Cichovius.

CEnturia Argumentorum, pro ſumma & naturali Chriſti Domini Divinitate, eiuſdemque Divinis perfectionibus collecta: & Samoſateniſtis vel Sociniſtis (vulgo Arrianis) oblata à Patre Nicolao Cichovio Societatis Ieſu. *Scrutamini Scripturas* &c. *illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Ioan. 5. verſ. 39. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi; de me enim ille ſcripſit.* Ioan. 5. verſ. 46. *Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Ioan, 8. verſ. 19.

Responsio.

Centenario numero nos oppugnatum it D. Opponens, ut æmulatorem Smiglecii Cichovium agnoſcas: ille centum errores, hic centum Argumenta nobis objecit. Sed hâc ipſa numeri centenarii affectatio, argumento eſt, non robore nos ullo, ſed ſolo numero oppugnari. Non rectè autem formavit theſin, prudenſne an imprudens? Nam & nos Chriſti Dvinitatem, in ſuo genere ſummam, & quâ nulla cuiquam à Deo poſſit dari ſublimior, eandemque non fictitiam, aut putatitiam, ſed veram & naturalem, nec non, divinas Chriſti, imò Diviniſſimas planè perfectiones agnoſcimus. Alium igitur titulum Argumentis ſuis præſcribere debuit, ne, vel in traducendis nobis, malevolentiæ, vel in arguendis, inſcitiæ ſuſpicionem incurreret. Nondum verò deſtinauit, quo nomine nos appellet, Samoſateniſtarumne, an Sociniſtarum. Utroque maluit. Nam Arrianorum appellationem, vulgo, non ſibi, nec qui ſupra ſapiunt vulgus, imputat: & nos, nec in Samoſateni, de quo, quid ſenſerit, non niſi Adverſariorum fide (quæ quam fida ſit, ex-

peri-

perimur in nobis ipsis,) constat; nec in Socini, nec in ullius hominis, præter quam in Patris & Filii, & Spiritus S. per Apostolos loquentis, verba juravimus. Christiani, ex eo quod Iesum credimus esse Christum, appellari, & volumus & debemus. Verè autem oblatam nobis hanc Centuriam dicit. Vix enim ullum Argumentum in illa est, quo adversus ipsum uti non possimus. Quod sibi Patris titulum ipse præscribat, suâ fecerit conscientiâ; nobis, opinor, non succensebit, quod illius præcepti memores simus. *Et Patrem nolite vocare vestrum super terram. Vnus enim est Pater vester qui in cælis est.* Minus enim erat vocari ab hominibus, Rabbi Rabbi, (quod Magistrum vel Doctorem significat,) quam, Pater Pater, & tamen, ab illius quoque appellationis usurpatione, suos itidem arcet discipulos, sibi soli, Magistri, & Doctoris, Deo, Patris appellationem titulumque vindicans; discipulis verò suis, mutuam & æquabilem Fratrum compellationem relinquens. Dicta scripturæ, quæ subiicit, utinam ipsius & aliorum conscientiam commoveant, ut & ipsi scrutari scripturas, ea qua par est diligentia, & animi simplicitate velint, & alios scrutari permit-

tant. In iis enim veri Filii Dei, & veri Patris, & veri Spiritus S. veram cognitionem invenirent. Reddamus & nos vicissim, pro tribus, tria. *Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde, ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & ab omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Luc. XXIV. 25. 26, 27. *Quum esset autem* (Stephanus) *plenus Spiritu S. intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait, Ecce video cælos apertos, & Filium hominis à dextris stantem Dei.* Act. VII. 55. 56. *Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis. Amen.* 2. Cor. XIII. 13. Hæc est sancta illa Trinitas, Iesus Christus, tanquam Dominus, ab uno Deo distinctus; Spiritus Sanctus, tanquam is, qui Iesu Christi gratia & Dei charitate communicatur Fidelibus. Amen.

Cichovius Ad Lectorem.

Summa & naturalis Christi Domini Divinitas, tot jam scriptorum doctissimis lucubrationibus, contra blasphemias Socinistarum defensa

fensa est, ut amplius veritati huic tuendæ immorari, otium & operam perdere videatur. Quia tamen horum scriptorum plerique prolixiores, quam ut ab occupato Lectore legi possint, facturum me censui operæ pretium, si præcisis responsis, sola Catholicorum Argumenta, quibus ex S. Scriptura summam Christi Domini tuentur Deitatem, quàm brevissimè proponerem. Id quod eò facilius inductus sum, ut facerem, quod, cum ante biennium D. Christophoro Stoinscio, qui cum aliquoties de ea veritate disceptavi; triginta ex his, quæ in Centuriam conieci, Argumenta obiecissem; simulque responsa ejus, primis quinque Argumentis reddita, Deo iuvante, ita evertissem, ut is ea fulcire, ne quidem accersitis Usimiro suppetiis potuerit; spem conceperim magnam, eos, quibus forte, Argumenta & Responsa mea, negatæ Christo summæ Divinitatis conscientiam moverint, facilè Centum Argumentorum lectione adductum iri, vel ad Socinisticam perfidiam, vel, ad responsa D. Stoinscio missa, refellenda, vel, ad clarum aliquod responsum, Centum hisce Argumentis reddendum. Quo instructus, facilius & compendiosius possem, Librum, ante

decennium, contra Sociniſtas conſcriptum, edere: præciſa nimirum earum ſolutionum impugnatione, quas recentioribus Sociniſtis, diſplicere adverterem.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, &c. exhortetur corda noſtra: & confirmet in omni opere, & ſermone bono. 2. Theſſal. cap. 11. verſ. 15. 16.

Reſponſio.

Quam ſolidè Adverſarii, contra noſtram de Filio Dei ſententiam adhuc diſputarint, quamque meritò nobis blaſphemias ac perfidiam, pro ſua modeſtia, obiectent, hæc ipſa diſputatio documento eſt. In quam quidquid uſquam apud illos Argumentorum reperitur, noſter D. Opponens congeſſit, pro quo gratiæ illi agendæ ſunt. Palantes enim iſtos, & hinc inde diſperſos milites, in centuriam & ſub unum veluti ſignum collegit, ut una eademque acie vinci poſſent. Nobis vero non eſt animus, contra tres diſtinctas inter ſe perſonas, quarum tamen quælibet ſit unus ille Deus, totaque illius eſſentia, diſputare. Cur enim diſputemus de rebus ab omni intellectu ſemotis?

ſemotis? Linquimus iſta, & ſuo loco relinquimus. Hoc ſolo contenti, docere, & pro hac veritate, divinis adiuti viribus, ad mortem uſque decertare, Ieſum Chriſtum, hominem diviniſſimum, quippe ex S. Spiritu, & virtute Altiſſimi conceptum, & ex Maria, intacta à Viro Virgine, natum, citra perſonam illam, quæ in una Dei eſſentia ſecunda dicitur, Filium Dei eſſe, & in ſcripturis, hunc ſolum, iſto nomine intelligi. Atque hoc ſenſu in iſta diſputatione Filii Dei nomen accipimus, in quem ſi conſentirent ipſi adverſarii, iam protinus finita eſſet omnis inter nos diſputatio. Neque enim ullus dubitaret, Filium Dei hoc ſenſu, haudquaquam eſſe ipſum ſummum Deum. Tota igitur inter nos diſceptatio indè oritur, quod nos Filii Dei vocem, alio, ipſi alio ſenſu ac ſignificatione accipiant, ſicut & Patris & Spiritus S. nomina. Nobis enim Patris, voce, ſignificatur ſummus ille Deus, quantus quantus eſt, non una tantùm ex tribus in illa Perſona, & hanc ſignificationem ſacrarum literarum eſſe dicimus; quo ſenſu quis dubitet, ſolum Patrem, ſummum eſſe Deum? Spiritus S. itidem nomine nobis ſignificatur, & in ſcripturis ſignificari à nobis aſſeritur,

cæleste illud Dei Donum, quo sancti homines à Deo afflantur & sanctificantur, quod ipsum summum Deum esse quis dixerit;? Itaque cum Filium Dei ipsum summum Deum esse negamus, non alius istius negationis nostræ sensus est, quam ut negemus, Filii Dei, nempe singularis illius & unigentiti, nomine usquam in S. L. alium quam Iesum Christum, eo quo diximus sensu, designari. Alioquin enim, aut duos esse Dei Filios fatendum esset, quod S. L. ignotum est, aut Iesum ita, ut diximus, consideratum, Filium Dei esse, negandum esset; quod ipsam fidei Christianæ arcem petit, & salutis æternæ fundamentum molitur. Nam si vel maximè cum persona, quæ summus Deus sit, unitus affirmatur, (ut sane unitus cum summo Deo fuit, adeò ut ipse in Deo, & Deus in ipso esset:) si tamen non ipse verè & propriè, sed illa persona, Filius Dei esse dicatur, non tantum nihil divinitatis ipsi accedit, sed etiam pro vero Dei Filio, alius inducitur: ille autem, qui vere Dei Filius est, & in cujus agnitione ac nomine salus nostra vertitur, Filius Dei esse non agnoscitur, quin & blasphemiis, mentibus hominum in alium Dei Filium conversis, hunc autem de-

dignantibus, ſumma cum impietate inceſſitur. Nimirum difficile eſt, ei cui Deus, ex gratia paterna, ſumma omnia contulit, adeò ut nemini poſſit majora, aliquid divinitatis velle adjicere. Nam ſi perrexeris, cum ultra nihil ſit, niſi ipſe ſummus Deus, ex eo quem is evexit, ipſum ſummum Deum, neceſſe eſt ut facias, ita, vel alium facies quam qui evectus eſt, vel ſi ei ſuam, ſecundum quam evectus eſt, naturam reliqueris, hactenus ſaltem, ſummum ex illo Deum non facies. Eſſentiâ enim, & quæ in illius exaltatione poſita eſt divinitate, à ſummo Deo manebit diſtinctus. Eſſentias autem naturâ ſuâ per ſe ſubſiſtentes, ſeu quæ propriâ ſuâ ſubſiſtere poſſunt perſonâ, quid attinet in unam cogere perſonam, etiamſi id contradictione implicitum non eſſet? neque enim propterea una eſſentia tranſibit in aliam, ſed utraque ſemper manebit diſtincta, proinde & utriuſque divinitas; altera ſumma & à ſe ipſa exiſtens, altera à ſumma data & accepta; ubi enim eadem eſt divinitas, iſtic & eandem eſſentiam eſſe neceſſe eſt. Sic re, quæ in controverſia verſatur, explicata, non dubitamus fruſtra eſſe, quicunque Dei quem dicimus Filium impugnatum.

tum eunt, & veritatem magna vi erumpentem conantur ſiſtere. Durum eſt contra ſtimulum calcitrare, dixit Chriſtus Saulo, Divinitatem ſuam oppugnanti. Scripta, quæ ſe cum viro Nobili Chriſtophoro Stoinſcio, ultrò citròque ſuper hac re commutaſſe refert, ubi gentium ſint, mihi non conſtat. Credo, ſi vir ille ſupervixiſſet, non paſſus fuiſſet D. Opponentem diutius gloriari, de iis, quæ ad Argumenta ipſius reſponderat, tantopere everſis. Sed quo fine reciprocamus hanc ſerram, cum his, qui non eo fine diſputant, ut parati ſint, manus dare veritati, ſi eam videant; ſed tantum, ut copias ac vires illius ſpeculentur & explorent, omnem ingenii vim eò converſuri, ut vias Domini rectas pervertant. Certè niſi aliorum ædificandorum ſpes eſſet, nullum ad hæc C. Argumenta verbum emiſiſſem, cum videam, D. Opponenti, nihil aliud propoſitum eſſe, quam ut ex Reſponſionibus noſtris, librum ſuum adornet, quem contra nos, decimum iam preſſit in annum. Ex hoc ungve leonem licuit agnoſcere. Sed fortior eſt leonibus veritas, quæ ideò ſe patefacit & aperit, ut oſtendat, nullos ſeſe Adverſarios metuere. Brevitate ſua D. Opponens effecit,

effecit, ut Reſpondentem invenerit; ubi ſe latius diffuderit, fortaſſis ex Adverſario nullam nominis claritatem conſequetur. Denique hoc ipſum quod apponit ex Apoſtolo votum, clariſſimè oſtendit, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab uno illo Deo diſtingvi. Additur enim in textu Græco peculiaris ad vocem Dei articulus, qui quia non exprimitur in Latino, exiſtimavit hæc verba opportuna eſſe, ad perſuadendum ignaro lectori, uni Ieſu Chriſto hos omnes tribui titulos. Ut verò etiam doceatur, quis ſit unus ille Deus, apponitur vox Patris; ſicut ad explicandam appellationem Domini noſtri, apponitur nomen Ieſu Chriſti. Solus igitur Pater, omnium noſtrûm, eſt Unus ille Deus, ſicut & ſolus Ieſus Chriſtus, eſt unus ille Dominus à Deo factus. Non poſſumus & nos meliori voto concludere, quam hoc ipſo, ſed ſenſu genuino, & ſcopo alio, non ut Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum Deo Patre, in unam confundamus perſonam, ſed ut utraque perſona diſtincta, à Domino noſtro Ieſu Chriſto, tanquam illo per quem omnia, exhortationem cordium noſtrorum, & confirmationem in omni ſermone & opere bono conſequamur.

Ipſe,

Ipſe, inquam, *Deus pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem ovium magnum, in ſangvine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet nos in omni opere bono, ut faciamus voluntatem ejus; faciens in nobis quod placeat coram ſe, per Ieſum Chriſtum: cui gloria in Secula ſeculorum. Amen.* Hebr. XIII. 20. 21.

Reſponſio ad Centuriam Argumentorum, quibus R. D. Nicolaus Cichovius, è ſocietate quæ Ieſu nomen præfert, probare conatur, Ieſum Chriſtum eſſe ſummum illum & unicum Deum; illum, inquam, ipſum quem Ieſu Chriſti Patrem ſcriptura appellat, & Catholica Chriſtianorum fides agnoſcit.

Argumentum. I.

Illa perſona quæ eſt naturâ Deus, eſt Deus ille unus & ſummus, ut ipſimet Adverſarii fatentur. Chriſtus Dominus eſt naturâ Deus: (ſecus qui eum pro vero Deo colerent, ignorarent Deum: cum Apoſtolus, *Gal.* 4. vers 6. dixerit Galatas tunc ignoraſſe Deum, quando iis, qui non ſunt naturâ dii ſervierunt.) Ergo Chriſtus Dominus, eſt Deus ille unus: & ſummus.

Reſponſio.

Responsio.

In hoc syllogismo termini sunt quatuor. Nam Deus ille unus, naturâ Deus est, à se ipso: Christus naturâ Deus est, ab illo uno Deo. Deus enim naturâ, id est per rei ipsius naturam, non per opinionem falsam (quæ duo hic tacitè inter se opponit Apostolus) est, qui re ipsa immortalis & beatus est, quique cælestem illam lucem inhabitans, mentes ac vota Mortalium percipit, & se invocantibus ac colentibus, opem ferre potest; qualis haud dubiè Christus est, spiritus vivificus factus, & accepta à Deo, omni in cælis & in terra potestate, 1. *Cor.* XV. 45. *Matth.* XXVIII. 18. quæ distinctio nisi adhibeatur, & naturâ Deus, in genere accipiatur, subiectum majoris latius patebit prædicato; proindè aut maior erit falsa, aut Syllogismus affirmatus, in secunda figura: distinctione autem istâ adhibita, Maior apparebit particularis in prima figura, & consequenter, quatuor ut diximus termini in Argumento.

Iuvat hoc telo, adversus ipsum qui id contorsit uti. Qui servit iis qui naturâ non sunt Dij, is ignorat verum Deum. Dominus Opponens

ponens, ſervit ijs qui naturâ non ſunt Dij, ut Mariæ Virgini, Chriſti Domini noſtri Matri, Angelis, & Sanctis vitâ functis. Ergo, &c. Maior eſt Apoſtoli, *Galat.* IV. 8. Minor eſt ipſius D. Opponentis, qui naturâ Deum, & Deum illum unum convertibilia putat, quique ſe multis ſervire Dijs neutiquam fatetur. Dicet, ſe Mariam Virginem; Angelos, & Sanctos mortuos, pro Dijs non habere. Tantò igitur fortius ſtringit Argumentum; quod ſerviat iis, quos ne Deorum quidem nomine ipſemet dignatur. Dicet, ſe iis non ſervire latriæ cultu, id eſt ſe eos pro prima & independente rerum omnium cauſa non agnoſcere. Atqui, (ne nunc dicam Græcas latriæ & duliæ voces, ſuâ naturâ ſynonimas eſſe, earumque diſtinctionem in Hebræa & aliis lingvis locum non habere, quæ una *Serviendi* voce utuntur,) atqui, inquam, neque gentiles, Deos ſuos omnes ita coluerunt; cum multos haberent & colerent Deos, à primo, ut putabant, dependentes & factos: neque nos Chriſtiani, Chriſtum, pro primo rerum omnium Auctore, veneramur & colimus: neque Apoſtolus denique, voce latriæ, dicto luco uſus eſt, ſed voce duliæ: ἐδουλεύσατε *Serviiſtis,*

viistis, in quit, *ijs qui non naturâ sunt Dii.* Iam si duliæ cultus non competit ijs qui naturâ Dij non sunt, nec Deorum appellatione dignandi; quantò minus tribuendus illis erit hyperduliæ cultus, quem illis tribuendum esse dicitis? Hoc verum est, inquies, de gentium Diis, quos nihil esse in Mundo scriptura testatur, nec quidquam alias præter vana & inania simulachra: At ij quos colimus verè sunt tales quales colimus. De vocabulo igitur tantùm, non de re ipsa, lis est. Namque eos colitis tanquam æternos ac immortales, tanquam cælestes Patronos, & humana omnia, etiam animos ac cogitationes hominum, eorumque vel innumerabilium, ex locis etiam dissitissimis, uno eodemque tempore, vota ad se fusa, cultumque sibi exhibitum, in conspectu habentes, quanquam ipsi sint inconspicui, & extra omnem sensum mortalium positi; quæ divini cultus pars est, quocunquè tandem alio nomine cultus iste vocetur. Nam & quidquid est divini honoris, in vestibus, ac servitiis externis, id omne illis defertis, nec quidquam amplius ulli mortales tanquam Diis suis, eorumque simulachris tribuerunt, aut tribuere potuerunt. At hoc mo-

do qui colitur, vel naturâ Deus est, vel non naturâ, sed opinione sola. Neque enim inter ista duo, ullum reliquit Apostolus, de tali cultu & servitio loquens. Nec refert quod preces tantum ac supplicationes ambire vos dicatis. Nihilominus enim, quatenus rerum nostrarum votorumque conscii, cælestes opitulatores, quanquam precando sunt, eatenus & Dii sunt. Nam & gentiles olim suos habuerunt Deos, quorum precibus & intercessionibus apud supremum Iovem, juvari sese credebant. Quid igitur juvat, Deorum nomen, contra omnium consensum linguarum, illis denegare, rem ipsam tribuere, & hoc solo polytheïæ aut idololatriæ crimen velle effugere? an pluris est rei vocabulum, quam res ipsa? an, credo, minus offenditur Deus, divini honoris communicatione, quam nominis? quod ipse mortalibus etiam hominibus detulit: at cælestem cultum sibi soli reservavit, nulli alii præterquam sibi, & si cui ipse velit, tribuendum; quin potius injuriæ plenum est, cui dignitatem ipsam concessam putes, dignitatis nomen titulumque detrahere; quanquam Mariam Christi Matrem Sanctissimam, Cælorum Reginam (divino planè nomine)

nomine) compellatis, illiusque divinam poteſtatem & autoritatem potius, (ſic enim & decet Reginam) quàm ſupplicia pro vobis vota imploratis, taliaque de ipſa dicitis, ut nihil adſublimem Divinitatis titulum deſit. Nimirum ſicut Dei nomen ad ſolum ſummum Deum ſignificandum ita reſtrinxiſtis, ut illud omnibus aliis denegandum putetis, ſic & divinus cultus, ille tantum vobis eſt, qui tanquam ſummo Deo defertur. Atqui, ſicut Dei nomen etſi ſoli ſummo Deo κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur, tamen extra hanc excellentiæ ſignificationem multis eſt commune, quorum reſpectu, Deus, Summus & Altiſſimus eſſe dicitur: ſic & divini cultus appellatio, pariter cum nomine Deorum, extenditur ad omnes, qui tanquam aliis mortalibus majores, inprimis tanquam cœleſtes & immortales, præſertim inconſpicui & ab omni ſenſu mortalium remoti coluntur; quibus eo ipſo quod coluntur, votorum omnium notitia tribuitur. Fatendum igitur eſt, aut multorum Deorum vos cultores eſſe, ſi, quos colitis, naturâ tales ſint quales colitis; aut falſorum, ſi non ſint. Nequicquam verò nobis objecerit quiſpiam, duorum nos Deo-

rum cultores esse. Christus enim, ut quam sit ab uno illo Deo distinctus appareat, nunquam absolutè & subjectivè, ut loquuntur, Deus appellatur, sed tantum Dominus, quò Rex nobis à Deo datus, cælestis, significetur. Itaque neutiquam duos colere Deos dicendi sumus: sed unum Deum & unum Dominum, quod planè Christianum & Apostolicum est. 1.*Cor*.VIII. *6*. qui citra hunc unum Dominum consistunt, ad Christianam pietatem non perveniunt; qui ultra progrediuntur, extrà pietatis Christianæ metas exorbitant. Christianis enim in cælis, omnia post Deum, solus Christus est. *Col*. 3.3.

Argumentum. II.

Qui opponitur omnibus hominibus, tanquam Deus; hic præter naturam humanam, habet naturam Divinam: nec enim usquam in Sancta Scriptura videre licet, ubi aliquis purus homo, & solam naturam humanam habens, omnibus hominibus contra ponatur. Christus Dominus opponitur omnibus hominibus, tanquam Deus: *Galat*. 1. vers 1. & 1.*Thessal*. 2. vers. 13. Ergo Christus Domi-

nus præter naturam humanam habet Divinam.

Responsio.

Ignorat hic Elenchum D. Opponens. Totum enim argumentum conceditur, sano & scripturis congruo sensu. Certum siquidem est, Christum quatenus Deus est, naturam habere divinam, seu id, per quod verè Deus est, divinam sapientiam, divinum robur, ac potestatem; nec umbram aliquam divinitatis, ut aliis contigit, sed omnem illius plenitudinem corporaliter ac solide in se habitantem; &, ut omnia simul dicam, Spiritum illum sanctitatis, ex quo conceptus formatusque, & quo, sine mensura repletus fuit, quem & Apostolus *carni*, id est, mortali Christi naturæ opposuit, & antiquiores Patrum, quos vocant, propiores adhuc Apostolicæ veritati, divinam Christi crediderunt esse naturam, secundum quam etiam Christus definitus est Deî Filius, in potentia, ex resurrectione à mortuis, depositáque mortali natura, immortalis (& hac quoque ex parte divinæ) naturæ, factus particeps, à dextris divinæ consedit

Majeſtatis, univerſa cœleſti ſuo continens imperio. *Rom.* 11 vers 4. Sed quia D. Opponens, divinæ naturæ nomine, ipſam ſummi Dei eſſentiam intelligit, Reſpondeo ad Argumentum, diſtinguendo vocem Dei, quæ ſi reſtrictè ad ſummum Deum, & κατ' ἐξοχὴν accipitur, Major eſt tantologica, & probatur idem per idem; proinde Minor falſa. Si verò in genere accipitur, pro eo, qui mortalibus, ſapientiâ, robore, ſanctitate, ac poteſtate, major eſt & excelſior, Minor eſt vera, ſed Major falſa, continetque conſequentis fallaciam. Subiectum enim illius latius patebit prædicato. Ideò ſyllogiſmus re ipſa eſt affirmatus in ſecunda figura, aut Majore particulari in prima. Ratio qua fulcire conatur Majorem, neque firma eſt, neque ad rem facit, neque eo quo ipſam D. Opponens accipit ſenſu vera eſt. Firma non eſt, cum ſit à teſtimonio ſcripturæ negato. Quid enim mirum foret neminem alium in Scripturis, tanquam Deum omnibus hominibus opponi, præter ſolum Chriſtum, cum nullus unquam hominum tanta fuerit divinitate præditus, quanta Chriſtus? An verò magis uſquam in Scriptura videre licet, ubi aliquis homo, tan-

quam

quam summus Deus, omnibus opponatur hominibus? Ad rem non facit, cum nos Christum neutiquam nudum hominem, sed ex Spiritu S. ac virtute Altissimi credamus fuisse conceptum, ac proinde, ab ipso conceptu & ortu Deitatis fuisse plenissimum. Vera denique non est, cum ij, quibus ab ipso Deo dictum est, *vos dij estis, sed ut homines moriemini, Psal.* LXXXII. Dii non fuerint immortales, sed homines mortales, nempe, Majestas ac suprema in terris potestas, ex aliorum hominum censu eos eximebat, & in numerum Deorum referebat; hæc ipsorum divinitatis natura ratioque est. Sic Filii Deorum, id est Regum ac Dynastarum, filijs hominum opponuntur, *Gen.* VI. 2, 4. Sic & Moses Pharaoni, quanquam Regi, tanquam Deus opponitur, quod divina in ipsum opera patraturus esset. *Exod.* VII. I. Sic Samson propter robur illud ingens, & humanum excedens modum, quo spiritus divini superventu replebatur, aliis hominibus sese opponit. *Iudic.* XVI. 7, 11, 17. Quanto igitur magis Christus, præsertim æternus & immortalis, rerumque omnium Dominus & hæres factus, omnibus hominibus, tanquam Deus, opponi potuit, atque

adeo oppositus fuit? *Galat.* 1. vers. 1. Nam alter locus. 1. *Thessal.* 11. vers. 13. de *Deo* Christi Patre, non de Christo loquitur.

Porrò ut hoc ipso telo *D.* Opponentem feriamus, sic illud retorquemus. Quod implicat contradictionem, id scriptura nusquam dicit; Aliquem simul esse unum illum *Deum* & hominem, implicat contradictionem. Ergo, &c. Major probatione non indiget, cum contradictoria simul esse vera nón possint. Minor similiter evidentis est veritatis, cum unus ille *Deus* & homo disparata sint, & sibi invicem contradictoria, id est, tanquam homo, & non homo, unus ille *Deus*, & non unus ille *Deus*, voce hominis & voce Dei, tam in affirmatione, quam in negatione eodem modo accepta, opponantur. Item; Quod non est unum illud, non est Ens, cum omne Ens sit unum: Aliquem esse simul, hominem & non hominem, eodem sensu, non est unum, ut res ipsa ostendit. Ergo &c: Nam si dicas, Christum esse hominem, quatenus naturam habet hominis, & non hominem, quatenus naturam habet summi Dei, hoc pacto omnia contradictoria conciliaveris.

Cichovius.

Cichovius.

Confirmatur. *Rom.*3. verſ.4. dicitur, *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Atqui Chriſtus Dominus, eſt *verax. Mar.* 12. verſ. 14. *Ioan.*7. verſ.18. *Apoc.* 19. verſ.11. imo ipſa *veritas, Ioan.* 14. verſ.6. unde etiam, in veritate teſtimonii exæquatur Deo Patri, 1.*Ioan.* 5. verſ. 7. Ergo Chriſtus Dominus, naturam divinam, cui propria veritas eſt, habet, præter naturam humanam: Secundum quam, is videtur loqui. *Ioan.* cap. 5. verſ. 31. ut ſecundum naturam Divinam, de ſui teſtimonii veritate loquitur *Ioan.* capit. 8. verſ. 14.

Reſponſio.

Novum hic potius affertur Argumentum, quam prioris confirmatio. Sunt autem & hic quatuor termini. Aliter enim Deus, aliter Chriſtus verax eſt. Deus ita verax eſt, ut ſit fons & primus autor omnis veritatis, at Chriſtus ita verax eſt, ut omnem veritatem & veracitatem acceperit à Deo. Nam quod

dicitur, omnem hominem esse mendacem, in communi debet accipi, non in universali. Excipiuntur enim Prophetæ & Apostoli, imo omnes Sancti, & Spiritu Dei regeniti: quanto magis Christus, Sanctorum omnium Sanctissimus. Unde nec Apostolus, omnem hominem simpliciter, sed si cum Deo in disceptationem veniat, *Rom.* 3.4. nec David, sui potens, sed extremo periculo perturbatus, ac veluti extra se positus, omnem hominem dixit mendacem, existimans, sed immeritò, Samuelis quoque promissa in irritum cadere. *Psal.* CXVI. 11. Neque sane mendacem esse ad naturam hominis spectat, sed ad mores. Et verò, si mendacem esse, ita inseparabiliter humanæ naturæ adhæret, sicut veracem esse divinæ, videat D. Opponens, ne Christum quoque ipsum, quatenus homo fuit, mendacem fuisse impiè concludat. Denique nullus hominum unquam fuerit futurusve sit mendacii expers, non magis tamen sequetur Christum, vel hominem non fuisse, quod mendacii labe caruerit, vel quia homo fuerit, mendacii culpa non vocasse, quàm eundem, vel hominem non fuisse, quod ex virgine sit natus, vel quia homo fuerit, ex virgine natum non esse;

vacas-se

quia

quia nullus unquam homo ex virgine natus sit. Tales enim propositiones, non hominem simpliciter, sed omnem alium hominem excludendi vim habent.

Porrò si Christus propter divinæ naturæ cum humana coniunctionem, extra omne mendacium, quatenus homo, poni potuit, cur propter tantam Spiritus Sancti vim, quantam accepit à Patre non potuit? Propheta certe, divinissimas Christi, virtutes, ad Spiritus S. in Christo habitantis efficaciam retulit. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, spiritus consilii, & roboris, Spiritus scientiæ, & timoris Domini. Esa.* XI. 2. Eidem Spiritui & omnia divina Christi opera tribuuntur. *Matt.* XII. 28. *Mar.* 2. 8. *Actor.* 1. 2. & X. 38. Unde Argumentum: Qui homo propter datum sibi à Deo Spiritum S. divinas in se virtutes habuit, & opera divina exercuit, ille summus Deus non fuit. Alioquin enim Spiritus S. dono & ope nihil habuisset opus. Christus homo, propter datum sibi à Deo Spiritum S. divinas virtutes in se habuit, & opera divina exercuit, universa testante scriptura. Ergo &c.

Ioannis

Ioannis v. 31. negat Christus testimonium suum verum fore, si ipse de se testaretur: at *Cap.* VIII. 14. affirmat. Quamobrem vero? quia ibi secundum humanam naturam, hic secundum divinam de se loquitur? Itané Christus igitur secundum humanam naturam mentiri potuit? A page dictum tam impium! quæ igitur est causa? quia *Ioan.* v. 31. testimonium suum intelligit, si nullis aliis fide dignis & indubitatis testibus suffultum esset, ut ex sequentibus constat. vers. 32. 33. 34. 36. 37. 39. at *Cap.* VIII. 14. quatenus suo testimonio, Patris à quo missus fuit, testimonium coniunctum esse docet. *vers.* 16. 17. 18. Unde iterum argumentor. Qui negat, si ipse solus, & sine ullis aliis fide dignis testibus, de se testificetur, testimonium suum fore verum, ille se summum Deum esse negat. Christus id facit Ergo &c. Major per se patet, cum summus ille & unicus Deus, nullis testibus indigeat, & cunctis aliis testibus omni exceptione Major sit, imò omnium aliorum veritas ab ipso solo pendeat. Minor ipsius Christi verbis continetur, *Ioan.* v. 31.

Argumentum III.

Qui habet unum esse, cum Deo Patre, habet cum eo unam naturam: (nec enim aliud quid est natura Dei, quam esse Dei) Christus Dominus habet unum esse, cum Deo Patre, *Ioan.* 10. *vers.* 30. Ergo Christus habet unam naturam cum Deo Patre.

Responsio.

Minor huius Argumenti, Christi verbis, *Ioan.* x. 30. *Ego & Pater unum sumus* haud quaquam probari potest. Consensum enim suum in omnibus cum Patre, his verbis, non unitatem significavit essentiæ: quia si unus idemque cum Patre, id est summus ille Deus esset, quid opus erat his ambagibus? *Nemo rapiet oves meas ex manu mea*, quare? quia eas nemo potest rapere ex manu Patris mei, quippe omnibus majoris: Ego autem & Pater unus idemque Deus sumus? Dixisset haud dubiè longè brevius, & verbis nullum alium sensum præseferentibus; quia ego sum summus ille Deus, quod quia non dixit, sed in

servandis

ſervandis & vindicandis ovibus ſuis ad Patris omnium majoris potentiam recurrit, quis non videt, cum ſe unum eſſe cum Patre ſubiicit, non eſſentiæ ſuæ cum Patre unitatem: ſed ſuum, ſicut in omnibus rebus, ſic & in ſervandis ovibus, cum Patre conſenſum voluiſſe indicare? Hoc enim maximè ad rem pertinuit.

Cichovius.

Neque poteſt, id intelligi, de unitate voluntatum: quia ſecus David Vir ſecundum cor Dei, factus ad omnes voluntates Dei faciendas, *Actor.* 13. *verſ.* 22. & quilibet Angelorum, ad exequendam Dei voluntatem promptiſſimorum; & quilibet Sanctorum, qui idem velit, quod Deus Pater, poſſet dicere, Ego & Deus Pater unum ſumus: quod tamen, à nemine, ſine blaſphemia dici poſſe, totius Chriſtiani Orbis ſenſus eſt.

Reſponſio.

Neque ſanctorum hominum ullus tam perfectè conſenſit Deo, ut nulla unquam in re diſſenſerit, nec Angelorum etiam ullus tantæ dignitatis eſt, ut abſolutum Filii Dei nomen poſſit uſurpare, undè illud de ſe dicendi pen-

det authoritas. Quamvis autem nulli ſic de ſe ipſo loqui fas ſit, at quo minus ab aliis dicatur, Sanctos, Angelos, Apoſtolos, Prophetas, Sanctam Eccleſiam, quin & omnes qui Spiritu Dei reguntur, unum eſſe cum Deo, ſanè nihil impedit. Imò cum Chriſtus diceret ad Patrem, *Vt & ipſi in nobis unum ſint, Ioan.* XVII. 21. quid aliud ſignificavit, quam ut diſcipuli ſui, unum cum ipſo & Deo Patre facti, ipſi quoque inter ſe unum fierent, & ſic Deus & Chriſtus commune illorum vinculum eſſet: quin & verba illa Chriſti, *Ego ſum in Patre, & Pater in me.* Ioan. X. 38. *&* XIV. 10, 11. *&* XVII. 21. hanc ipſam cum Patre coniunctionem unitatemque ſignificant: & tamen id ipſum de ſe & credentibus in ſe, dixit Chriſtus, *Ioan.* XVII. 23. & Apoſtolus eius Ioannes, de Deo, & omnibus qui fide in Chriſtum, juſtitia & charitate præditi ſunt. 1. *Ioan.* III. 24. *&* IV. 13, 15, 16.

Cichovius.

Neque obſtat quod Chriſtus *Ioan.* 17. verſ. 12. ita oraverit: *Pater ſerva eos, ut ſint unum, ſicut & nos*, &c.

Reſponſio.

Responsio.

Christus his verbis unitatem suam cum Patre pro norma & exemplo ponit unitatis discipulorum, inter se. At cum unitas discipulorum in mutuo animorum consensu posita sit, unitas numerica essentiæ Patris & Filii, illius norma & exemplum, quod discipuli imitentur, esse qui potest?

Cichovius.

Hæc enim intelligenda sunt in sensu proportionato & accommodo. Nam semper in comparatione humanorum ad Divina, ingens relinquitur discrimen: estque inter ea, non identitas, vel æqualitas, sed tantum similitudo, & imitatio. Quis enim exiget æqualitatem, cum leget. *Ephes. 5. vers. 29. Quilibet carnem suam nutrit, & fovet, sicut Christus Ecclesiam.* & ibidem vers. 2. *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* & vers. 22. *Mulieres subditæ sint viris, sicut Domino*, & vers. 25. *Diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*, & 1. Ioan. 3. vers. 7. *Qui facit justitiam, justus est, sicut & Deus justus est*, & cap. 4. vers. 17. *Sicut Deus est; & nos sumus in hoc mundo.* Ut ergo in his locis, *sicut*, vel idem significat, quod

quod quoniam: velut illud *Levit.* 11. verſ.44. *Sancti eſtote; quoniam ego Sanctus ſum:* vel ſolam ſimilitudinem, proportionem, imitationem, ita & in propoſita oratione Chriſti Domini.

Reſponſio.

Recte, talis igitur & hic Patris & Filii unitas intelligenda eſt, quam imitari, & in qua Patri & Filio ſimiles fieri poſſent diſcipuli. Neque ſane opus eſt ut comparatio inſtituatur in rebus diverſi generis, cum in uno genere poſſit inſtitui. Id ipſum fit in exemplis productis. Unius generis eſt, & dilectio, & juſtitia, & Sanctitas, quæ in Deo & Chriſto nobis imitanda proponitur, quocirca cum inter Patrem & Filium unitas ſit perfectiſſimi conſenſus; Chriſtus quoquè eandem diſcipulorum ſuorum unitatem intelligat, cum eos Patri & Filio in ea ſimiles eſſe cupit, cui dubium eſſe poteſt, in Chriſti verbis, non aliam Patris & Filii, quam in eorum intimo conſenſu poſitam unitatem intelligi?

Cichovius.

Quanquam, ſi comparatio vel aſſimilatio

fiat in unitate vel concordia voluntatum, magnam ea verba (*ut ſint unum* &c.) patiuntur difficultatem. Nam certum eſt, Chriſtum Dominum, quæ tunc petiit, impetraſſe: & tamen æquè certum eſt, neque Apoſtolos, neque credentes, hanc unitatem voluntatum habuiſſe. Satis nota eſt, diſſenſio Apoſtolorum Petri & Pauli; Pauli & Barnabæ; Fidelium ex Iudæis & Fidelium ex gentibus: nota item Corinthiorum Schiſmata, &c. Aliud ergo, huius orationis Chriſti Domini objectum, prolixe, & erudite, in Commentario *cap.* 17. Euangelii S. Ioannis aſſignat. S. Cyrillus Alexandrinus. Summa eſt. Orabat Chriſtus Dominus, ut Apoſtoli unum ſint: nempe unius Sancti Spiritus participatione facti unus Spiritus. *Ephes.* 4. *verſ.* 4. & unius corporis & Sanguinis Chriſti manducatione, facti unum corpus: quod utrumque ad Corinthiorum Schiſmata tollenda, ceu efficaſſimum remedium, adhibet Apoſtolus, 1. *Cor.* 10. *verſ.* 16, & ſeque & *cap.* 12. propè toto, ut vis ſimilitudinis ſit hæc: Oro Pater, ut ſicut noſter Spiritus unus eſt, ita & Apoſtolorum, & omnim credentium unus ſit: & ſicuti nos, unitate reali Eſſentiæ unum ſumus; ita & illi ſint

ſint unum unitate reali corporis facti concorporales : *Epheſ.* 3. *verſ.* 6. non ſolum ſibi ad invicem ; ſed & mihi. Unum item in Divinis Perſonis (juxta illud , ut ſint unum in nobis) facti ſunt credentes : & unitate Spirituali, quatenus adhærentes Domino per participationem Spiritus Sancti , facti ſunt unus Spiritus cum Deo : 1. *Cor.* 6. *verſ.* 17. & unitate corporali , quatenus uniuntur , Verbo incarnato reali manducatione Corporis & Sanguinis ejus. Plura ſuggeret lectio capitis duodecimi primæ Epiſtolæ ad Corinthios.

Reſponſio.

Nullam , hæc Chriſti verba , de concordia diſcipulorum intellecta , patiuntur difficultatem. Chriſtus enim non petiit à Patre, ut omne liberum arbitrium diſcipulis ſuis adimeret , ſine quo virtus nulla eſt ; ſed ut ſufficientiſſimas illis concordiæ cauſas daret, quod profectò impetravit. Hinc legimus , multitudinis eorum qui crediderant cor fuiſſe unum , & animam unam : *Actor.* IV. 32. & ſi quæ lites exortæ fuerant , quarum hic exempla ponit D. Opponens, mox compoſitæ reſederunt. Fruſtra igitur hujus Orationis

Chriſti aliud quærit objectum, & dum difficultates ubi nullæ ſint vitat, in difficultates veras & inexplicabiles incidit. Nam, I. valdè improprie, & phraſi ſcripturæ ignota, dicuntur fideles unus Spiritus, nempe Sanctus, fieri, quod unius Spiritus S. fiant participes, *Epheſ.* IV. 4. hoc tantum dicitur, Unum eſſe Chriſtianorum Spiritum, ſi Sanctus hic Spiritus intelligatur, non ſecus quam unam illorum eſſe Spem, unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma, unum Deum & Patrem omnium: vel ſi de naturali cujuſque Spiritu loquatur Apoſtolus, Unum illos eſſe debere, & corpus, & Spiritum, id eſt quaſi unum hominem, conjunctione ſcilicet animorum. 2. Unius Spiritus S. participatio, medium eſt divinitus datum ad iſtam ducens unitatem, qua Chriſtus Diſcipulos ſuos conjunctos eſſe voluit, ideoque illam tanquam medium, hanc tanquam finem, in oratione ſua intendit. 3. Unus Spiritus cum Chriſto fieri dicitur, qui Chriſto adhæret: 1. *Cor.* VI. 17. quatenus ſcilicet ſuo Spiritu, per fidem in Chriſtum Chriſto, qui Spiritus vivificus eſt factus, arctiſſimè conjungitur. 4. Unum corpus Chriſti credentes fiunt, non carneum illud

& pro-

& propriè dictum, sed Spirituale & per metaphoram sic appellatum, nempè una Christi Ecclesia, *Ephes.* V. 23. *Col.* I. 18. Hinc dicimur unius corporis membra, 1. *Cor.* XII. à *vers.* 12. ad finem; Christus verò istius Corporis caput, *Ephes.* I. 22, 23. *Col.* I. 18. quorum utrumque in Corporis Christi propriè dicti, propriè item dicta manducatione locum non habet: in qua, non membrum unum, quisque fieret Corporis Christi, sub uno capite Christo; sed quisque totum cum ipso capite acciperet Corpus Christi. Sic & Gentes per fidem concorpores dicuntur facti, *Ephes.* III. 6. quod in unum Ecclesiæ corpus coaluerint cum Iudæis credentibus sub uno capite Christo, non verò quod Christi corpus propriè dictum, propriè loquendo manducent. Et prius illud est, quod ad Corinthiorum schismata tollenda adhibet Apostolus, 1. *Cor.* XII. toto ferè capite, non hoc posterius. Nam & illud, 1. *Cor.* X. 16. *Vnus panis, unum corpus multi sumus*, de corpore societatis, seu de consociatione multorum, in unum Ecclesiæ corpus, dixit Apostolus, causamque istius consociationis adfert, non quod unum Christi corpus propriè dictum, propriè

loquendo manducemus; ſed quod ex uno pane, in Chriſti corporis memoriam, partem capiamus. Societatis enim vinculum eſt, panem unà comedere. Indè & Companis ſive companionis vocabulum, apud Latinos, & συσσίτȣ, ὁμοσίτȣ, ὁμοχάπȣ apud Græcos, pro ſocio. 5. Nuſquam ſcriptura docet, ut corpus Chriſti propriè dictum, propriè loquendo, ſeu corporaliter manducemus, quin potius aperte dixit Chriſtus de carnis ſuæ proprie dictæ, proprie dicta, & qualem intelligebant Capernaitæ, comeſtione, *Caro non prodeſt quidquam, Spiritus eſt qui vivificat, verba quæ ego loquor vobis, Spiritus ſunt*, id eſt Spiritualem ſenſum habent, *& vita ſunt*: *Ioan.* VI. 63. Proprie dicta & corporali manducatione, panem manducamus; qui, ſicut & totus hic frangendi panis ritus, dicitur corpus Chriſti, conſueta loquendi ratione, quod ſignum ſit memoriale fracti pro nobis Chriſti corporis: propriè verò dictum corpus Chriſti, Spirituali, ſeu per metaphoram dicta, manducatione manducamus, ſeu, ſi ſalvi eſſe volumus, manducare debemus. Paulus Apoſtolus, calicem benedictum, quem benedicimus, communionem Chriſti Sanguinis, &

panem

panem quem frangimus, communionem Chriſti corporis eſſe dixit, non quod ex calice bibendo, ſanguinem Chriſti bibamus, & panem manducando, corpus Chriſti manducemus; ſed quod qui ritum hunc ſacrum obeunt, Communio ſive ſocietas ſint ad Chriſti ſanguinem & corpus ſpectans. Eſt enim hic ſpiritus celebrandæ Chriſti corporis & ſanguinis memoriæ dicatus. Hoc & ratio & exempla ab Apoſtolo ſubjecta demonſtrant. Nam & qui victimas edunt, ſocii ſeu ſocietas ſunt Altaris, quod victimæ Altari ſint conſecratæ: & qui edunt idolothyta, ſocii ſeu ſocietas ſunt Dæmoniorum, quod idolothyta Dæmoniis ſint immolata. Chriſtum Panem quem ſe daturum, *Ioan.* VI. 51. promittebat, carnem ſuam eſſe dixit, quam daturus eſſet pro mundi vita. Sed panis nomine (invitatus Mannæ illius Iſraëlitis in deſerto per Moſem datæ comparatione) neutiquam panem propriè dictum, quam in cœna frangebat, & diſcipulis edendum dabat, ſed panem Spiritualem ſeu per metaphoram ſic dictum intellexit; quo pacto & aquæ nomine, (comparatione ſimiliter aquæ illius ex puteo inductus,) quam ſe daturum dixit, *Ioan.* IV. 14.

Spiritualem aquam, & per metaphoram sic appellatam, significavit; quippe aquam, quæ futura esset fons aquæ salientis in vitam æternam.

Rei tantò magis demonstrandæ causa, sic ex Christi verbis apud, *Ioan.* vi. 51. argumentor. Christi corpus, seu potius caro, (Christus enim sese in verbis istis & sequentibus apud Ioannem considerat, tanquam victimam pro mundi vita mactandam, quæ ex vivo corpore, sanguine effuso, caro, animâ cassa, futura esset) est Panis Spiritualis, seu non propriè, sed per metaphoram sic dictus, quod sicut panis vitam temporalem, sic Caro Christi vitam æternam mundo afferat. Mors enim Christi vita est mundi. Panis quem *Ioan.* vi. 51. se se daturum dixit Christus, est Caro Christi. Igitur panis quem se se *Ioan.* vi. 51. daturum Christus dixit, est panis Spiritualis, seu non propriè, sed per metaphoram, sic dictus, proinde, non panis, quem in cæna fregit & discipulis manducandum dedit, qui panis erat proprie dictus. Major probatione non indiget. Minor sunt ipsa Christi verba, *Ioan.* vi. 51. Hinc porro infero. Panis Spiritualis, seu, non propriè panis, sed per metaphoram

phoram loquendo, seu Spiritualiter manducandus est: Caro Christi, est panis Spiritualis, &c. Igitur Caro Christi, non propriè, sed per metaphoram loquendo, seu Spiritualiter manducanda est. Major est evidens. Minor est præcedentis Syllogismi Major. Nimirum, postquam Christus, per metaphoram, carnem suam panem, vel cibum verum, & sanguinem suum, verum potum, (quippe non temporalem, ut propriè dictus panis & potus, sed æternam vitam afferentem) appellasset; ulterius metaphoram extendens, panem hinc carnis suæ, & potum hunc sanguinis sui, edendum & bibendum esse dixit, *vers.* 53. & seque. quippe, quod sicut panis & potus, quamvis afferendæ vitæ temporariæ vim habeat; tamen nisi edatur & bibatur, neminem vivificet: sic etiam caro & sanguis Christi, id, est mors illus cruenta, quam vis vitæ æternæ afferendæ mortalibus vim habeat, nisi tamen hæc caro & hic Sanguis edatur & bibatur, id est nisi morte Christi fruamur, (credendo nimirum in Christum, & illius morti, peccatorum nostrorum remissionem & justificationem nostri adscribendo) nisi inquam id fiat, mors Christi vitam æternam

allatura non eſt. Hæc eſt ratio manducandæ Chriſti carnis, & bibendi Chriſti ſanguinis, quam ipſa Chriſti verba ſuggerunt, cuique meritò Chriſtus, vitam æternam attribuit. Corporalis verò propriè dicti Chriſti corporis manducatio, nec ullum veſtigium in Chriſti verbis habet, nec ulla ratione ſine multarum contradictionum implicatione explicari intelligique poteſt. Sed nimirum, ſicut unica illa numero & ſingulariſſima eſſentia Dei, pluribus perſonis tota & indiviſa communicari potuit, & tamen unica numero manere & ſingulariſſima; ſic etiam unicum Chriſti corpus, innumeris hominibus, totum & integrum cuilibet ſeorſim, communicari poteſt, & tamen eſſe & manere unicum. 6. De verbo incarnato, in ſcripturis non legimus, ſed de verbo caro facto, quæ quantum inter ſe differant, in Reſponſione ad Argum: xxxi. patebit.

Cichovius.

Cæterum per illa verba, *Ego & Pater unum ſumus;* Chriſtum Dominum profeſſum eſſe, unam ſe naturam, ſeu unum eſſe habere cum Patre; illud inſuper arguit; quod & Iudæi agno-

agnoverint, quod Christus per illa diceret, se esse Deum unum cum Patre.

Responsio.

Malos duces & authores sequitur Iudæos D. Opponens, qui verba Christi calumniari & pessimè interpretari soliti sunt, quo insontem blasphemiæ vel criminis alicujus damnarent. Ideoque non quid Iudæi in Christi verbis agnoverint, sed quid in iis Christus dicere voluerit, spectandum est; quanquam credibilè non est, tam impudentes fuisse Iudæos, ut Christo objecerint, quod se summum Deum esse diceret, cum tam aperte Filium illius sese appellaret, & ab illo ubique distingueret. Sufficiebat illis ad blasphemiæ crimen, quod divinum quiddam, & ultrà quam homini mortali fas esset, de se loqui videretur. Sed quid Christus de se dixerit, optime ex illius responsione colligitur, quâ docet, nullam in eo blasphemiam contineri, quod se, homo cum esset, Filium Dei esse diceret, contra quam illi objecerant Iudæi. Id verò blasphemum haudquaquam esse, Scripturæ probat authoritate, quæ similiter naturâ non alios quam homines, non Dei Filios

jicerent

tantum,

tantum, ſed etiam, quod majus eſt, Deos appellat, nempe ſupremos aliorum hominum Iudices ac Rectores. Hinc Chriſtus infert; Si iſtos, & ſi naturâ non alios quam homines, Scriptura, imo Deus ipſe in Scriptura, quæ ſolvi & vanitatis coargui nequit, Deorum nomine dignatur, propter communicationem iſtius quam habent in terris ſupremæ poteſtatis, qua ratione mihi objicitis blaſphemiam, quod me, quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit, id eſt, cui longè majorem ac ſanctiorem & diviniorem, quam ſummi in terris Iudices ac Rectores habent, poteſtatem contulit, non Deum, quod optimo jure poteram, ſed Dei tantum Filium appellarim, quamvis & ipſe non alius naturâ quam homo ſim? Si enim alium ſeſe naturâ præterquam hominem, id eſt, eundem naturâ & eſſentiâ Deum cum Patre, Chriſtus eſſe dixiſſet, quid quæſo argumentum iſtud Chriſti ex comparatione ſummorum Iudicum ad rem faceret, cum nec ullus eorum, aut idem cum Patre Deus, aut ejuſdem cum ipſo naturæ ac eſſentiæ Filius, in Scriptura dicatur; nec ſi Chriſtus eundem ſe cum Patre Deum, ejuſdemve cum ipſo eſſentiæ Filium eſſe dixiſſet, quidquam ſum-

morum in terris Judicum exemplo opus haberet, ut doceret, se Dei, & Filii Dei, nomen, sine blasphemiæ crimine posse usurpare? quo enim vel exemplo vel argumento opus est, ut is, qui unus idemque Deus sit cum summo Deo, vel ejusdem cum ipso essentiæ Filius, Deum sese, Deique Filium, jure & sine blasphemia possit appellare? Sanctificatio etiam à Patre, & in mundum missio, (cujus respectu, Christum, sibi Filii Dei titulum vindicare, & sese in illius jure, cum supremis Judicibus conferre, nemo sine manifesta pervicacia negaverit,) tota ad humanam Christi naturam spectat; cum summus, aut idem cum Patre Deus; nec sanctificari à quoquam, nec mitti possit. Hoc igitur totum est, quod Christus, verbis illis, *Ego & Pater unum sumus*, asseruit, nempe blasphemum non esse, quod sese Dei Filium appellet, ac proindè se cum Deo Patre suo unum esse, id est, in omnibus Patri, ut Filium decet, consentire dicat, quamvis naturâ non alius quam homo, etsi divinissimus esset. Neque enim aliud Christus dixit, & cum dicti istius tanquam blasphemi accusaretur, longè aliud quam dixerat, jure meritoque dixisse demonstrat. Nam si

quis

quis dicat Christum singulari præ cæteris omnibus & planè eximia ratione sese Dei Filium appellare, quâ nullus alius in Scriptura sit appellatus, is in ipsis Christi verbis responsum reperiet, qui ut sibi longè meliori jure titulum hunc competere, quam cæteris hominibus, Deorum aut Filiorum Dei titulis in Scriptura ornatis, doceret, causam illius prorsus eximiam & singularissimam, suam nimirum à Patre sanctificationem, & in mundum missionem, expressit, ut simul, Filii Dei titulum, divinissima & singularissima ratione sibi convenire, & à se usurpandum esse evinceret. Atque hoc pacto Christus intentatum sibi à Judæis blasphemiæ crimen, egregiè retudit repulitque; quod utinam in animum revocarent, qui, cum Christianos sese dici velint, tamen id ipsum nobis blasphemiæ ducunt, quod Christo, quem non alium quam naturâ hominem, quanquam divinissimum, fuisse credamus; divinos titulos honoresque tribuamus: quod cum audio, Iudæos mihi audire videor dicentes, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis facis te ipsum Deum. *Ioan.* x. 33. Sed responsum, quod Iudæi à Christo acceperunt,
idem

idem & illi à nobis accipiant. Cæterum mirari ſatis nequeo blaſphemiam illis videri, ſi quis Chriſtum hominem, divinitatem à ſummo Deo accepiſſe dicat, & non videri blaſphemum, ſi quis eundem hominem, Chriſtum, (neque enim hominem fuiſſe diffiteri poſſunt) ipſum ſummum Deum eſſe ſtatuat.

Cichovius.

Et ipſemet Chriſtus, *verſ.* 31. profeſſus ſit, ſe ita unum eſſe cum Deo Patre, quo modo quilibet Filius eſt unum cum Patre.

Reſponſio.

Atqui nullus Filius unum ſe cum Patre eſſe ideo unquam dixit, quod & ipſe homo ſit: ſed quod unum cum Patre ſpiret, & Patri in omnibus concors ſit. Itaque, hoc, contra ipſum D. Opponentem militat.

Cichovius.

Atque ideo, ſe tam juſte & vere tribuere ſibi nomen Dei, etſi homo ſit, quam juſte & vere quilibet Filius dicit, ſe eſſe ejuſdem naturæ & eſſentiæ, cum Patre.

Reſponſio.

Responsio.

1. Cum ex eo quod Christus sit Dei Filius, peculiare argumentum infrà, *Num.* VI. adducat, non debebat illud pro fulcro istius Argumenti adducere: quod quia firmitatem suam ex illo capit, ipsum per se invalidum sit oportet.

2. Neque Christus sibi tribuit nomen Dei, neque Deus sic generat Deos, sicut homo generat homines, id est naturæ specie sibi similes, qua de re infrà, neque ullus unquam Filius eandem numero essentiam habuit, habereve per rerum naturam potest, quam habet Pater; neque denique si Filius ex. g. leo sit, ejusdem naturæ & essentiæ cum homine esse possit, nedum ut, si homo sit, eandem naturam & essentiam cum summo & unico Deo habere queat. Quocirca & hic suis se telis D. Opponens conficit.

Antequam hinc abeamus juvat D. Opponenti scrupulum relinquere. Qui se ita Dei Filium & unum cum Deo Patre esse dicit, ut se non alium naturâ quam hominem fuisse agnoscat, nec alias Filiationis suæ causas affert, quam, quæ in sola illius naturâ humana locum

locum habeant, is neutiquam se dicit ejusdem naturæ & essentiæ cum summo Deo suo Patre. Christus se ita Dei Filium dicit. Ergo, &c. Major probatione non indiget. Minor ex superioribus patet.

Argumentum IV.

Qui sub juramento potuit dicere; *Antequam Abraam fieret, ego sum;* hic habet aliam naturam, præter eam quam accepit ex Matre post duo & amplius, millia annorum, à morte Abrahæ. Christus hoc sub juramento dicere potuit, & dixit *Ioan.* 8. vers. 58. Ergo Christus habet aliam naturam, præter eam quam accepit ex Matre. Neque hic prædestinatio obtrudatur: secus quilibet Christianorum prædestinatus, tam verè quam Christus diceret, Antequam Abraham fieret, ego sum: quod tamen evidens blasphemia esset.

Responsio.

Neque Christus juravit cum dixit *Amen, Amen*, id est, verè verè, neque si jurasset, quidquam per id roboris huic Argumento accederet. Nam primò, Argumentum, non id concludit, quod sibi demonstrandum sumpsit

D. Opponens. Nam longè aliud eſt, habere aliam naturam præter eam quam quis accepit ex Matre, & habere illam ipſam quam habet ſummus Deus: qua de re cum Arianis diſputandi D. Opponenti locum relinquo; qui, quamvis illud concederent, hoc negabant. Deindè, major propoſitio eſt invalida, cum Chriſtus id dicere de ſe potuerit, propterea quod eſſet non tantum antequam Abraam, ſed etiam antequam mundus fieret, à Deo præcognitus, 1. *Petr.* 1. 20. & dilectus, & ad cæleſtem gloriam prædeſtinatus, *Ioan.* XVII. 5, 24. *Rom.* VIII. 29. Nam quæ à Deo hoc modo præcognita & conſtituta ſunt, jam eſſe merito dicuntur, idcirco & Deus nondum effectu ipſo exiſtentia, tanquam jam exiſtentia appellat, *Rom.* IV. 17, & Prophetæ, de rebus à Deo præcognitis ac definitis, tanquam de præſentibus loqui amant. Et, ſi Chriſtus dixit, quod eſſet antequam Abraham fieret, proculdubio reſpexit ad illud quod aſſeruerat, Abraham vidit diem meum & gaviſus eſt. *verſ.* 56. ut ſcilicet hoc confirmaret. Neque enim videri poteſt, niſi id quod eſt. At cum Abraham diem Chriſti viderit tanquam propheta, qui & videntes Hebræis

bræis dicuntur, ſequitur diem Chriſti, proindè & ipſum Chriſtum, qui ſine ſuo die eſſe non potuit, tum fuiſſe; non in effectu ipſo, ſed in Dei conſtitutione. Alioquin enim falſus fuiſſet Abraham, aliter illum videndo, quam re ipſa eſſet. Et ſi D. Opponentis inſtantia vim aliquam haberet, idem Apoſtolo Petro objici poſſit, qui tanquam peculiare & ſingulare quiddam de Chriſto commemorat, quod eſſet præcognitus ante jacta mundi fundamenta, 1. *Petr.* 1. 20. Nimirum quia nullus hominum eſt qui hoc tam certo de ſe ſcire & affirmare poſſit, quam Chriſtus potuit. Sane Apoſtolus Paulus, de Chriſtianis in genere non dubitavit aſſerere, quod eſſent præcogniti, & ad cæleſtem hæreditatem per Chriſtum adipiſcendam prædeſtinati, & ante jacta mundi fundamenta in Chriſto electi gratiamque illis datam eſſe in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia. *Rom.* VIII. 29. *Eph.* 1. 4, 5. & II. *Tim.* 1. 9. Chriſtus ipſe regnum illis à Mundi conſtitutione paratum eſſe docuit, *Matt.* XXV. 34. Itaque qui hoc reſpectu dixerit Chriſtianos jam ante mundi conſtitutionem eſſe, nihil falſum nedum blaſphemum dixerit. Tertiò quod ad minorem attinet,

Christi verba aliam habere possunt interpretationem, sicut à nostris alibi demonstratum est; Nempè, ut non dixerit Christus, Antequam Abraham fieret, sed, antequam fiat, ego sum; à persona Abraami, ad rem hoc nomine significatam & prædictam, appositè admodum & opportune transiens, postquam Iudæi in verbis Christi, de persona Abrahami agentibus, cavillari cepissent. Abraam enim significat Patrem multarum gentium, quod tum impletum est, cum multæ & variæ gentes per fidem in Christum, in Filios Abraami adoptari ceperunt. *Rom.* IV. 16, 17. *Galat.* III. 29. Itaque his verbis graviter monet Iudæos, ut cavillationibus prætermissis, suæ saluti consulant, & in se credant. q. d. verè, verè dico vobis, antequam Abraam fiat, id est, prædictus ille hoc ipso nomine multarum gentium exoriatur Pater, & vobis rejectis, vestri loco, variæ gentes filii & hæredes Abraami inscribantur, dico inquam vobis, quod ego sum Christus ille, vobis salvandis à Deo destinatus. Nam sic ubique apud eundem Ioannem verbis istis, *Ego sum*, per aposiopesin utitur Christus. Sane præter sensum egregium, etiam usui & constructioni verbo-

rum

rum hæc interpretatio accomodatior eſt; & ſimilia Chriſti verba, eandem & alibi, nempe priuſquam fiat, interpretationem habent. *Ioan.* XIII. 19. & XIV. 29.

Reponamus & hic D. Opponenti. Qui ante jacta mundi fundamenta à Deo præcognitus eſt, & temporibus demum extremis apparuit, is ante jacta mundi fundamenta re & effectu ipſo non fuit. Ea enim præcognoſci à Deo dicuntur, quæ antequam re & effectu ipſo exiſtant à Deo cognoſcuntur. Chriſtus ante jacta Mundi fundamenta, &c. 1. *Petr.* 1. 20. Ergo, &c. Si dicat, hoc de Chriſto ſecundum humanam naturam verum eſſe; dicam & ego, ſecundum eandem naturam & illud, quod ante Abrahamum fuerit, de Chriſto intelligendum eſſe; & ſanè merito. Hoc enim de ſe dixit, tanquam de promiſſo illo Meſſia, proindè tanquam de homine. Nam Meſſiæ Hebraicè, Chriſti Græcè, Uncti Latinè, nomen, hominis eſt nomen. Conceſſo præterea & poſito eo quod Chriſtus homo fuerit, eo ipſo tollitur, quod fuerit ſummus ille Deus, ut ante oſtendimus.

Argumentum. V.

Qui potuit vere dicere, ſe eo tempore, quo loquebatur cum hominibus, eſſe in cælo, hic præter naturam humanam habuit Divinam, ſecundum quam ſemper fuit in cælo: ut ex terminis manifeſtum eſt. Simul enim in cælo & in terra eſſe, nemo alius poteſt, præter eum qui ſit Deus naturâ: Chriſtus eo ipſo tempore, quo loquebatur cum hominibus, ſe eſſe in cælo, potuit dicere, & dicebat, *Ioan.* 3. *verſ.*13. & 12. *verſ.*26. & 14. *verſ.* 3. & 17. *verſ.*24. Ergo Chriſtus Dominus, præter humanam naturam, habuit Divinam, ſecundum quam ſemper fuit in cælo.

Reſponſio.

Major non conceditur; Chriſtus enim eo tempore quo cum hominibus loquebatur ſeu in terris verſabatur, jure dicere potuit ſe eſſe in cælo, per conſuetam enallagen præſentis, pro, mox, vel certo futuro, quod ſcil. in cælo brevi manſurus eſſet. Sic v. c. dicit, animam meam pono pro ovibus, id eſt, brevi ponam; corpus meum, quod pro vobis frangitur, id eſt, mox frangetur; Vivo propter

Patrem,

Patrem, id eſt, vivam: quando vobiſcum eram, nunc autem vado ad eum qui miſit me, id eſt, brevi vobiſcum non ero, brevi ad eum qui me miſit vadam: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, id eſt, relinquam; non amplius in mundo ſum, cum eſſem in mundo, id eſt, brevi non ero in mundo; nunc vero venio ad te, id eſt brevi veniam: aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, ad Deum meum & Deum veſtrum, id eſt, aſcendam: Ecce ego mitto promiſſionem Patris mei ſuper vos, id eſt mittam: vitam æternam do eis, id eſt, dabo. Et quis enumerat hujus generis omnia? Hinc & credentes in Chriſtum dicuntur vitam æternam habere, in æternum manere, ex morte in vitam tranſtati eſſe, ſalvati eſſe, una cum Chriſto vivificati, reſuſcitati, in cæleſtibus collocati eſſe, *Epheſ.* II. 5, 6. converſationem eorum in cælis eſſe, *Phil.* III. 20. & quæ alia ſunt ſimilia complura, ut mirum ſit, virum Theologum, ex ejuſmodi Scripturæ phraſibus talia velle concludere. Porrò enallagen in Chriſti verbis eſſe, vel indè patet, quod Chriſtus de ſe ut homine loquatur, cum ſe in cælis eſſe dicit, Ait enim, Filius hominis, qui eſt

in cælo, (quanquam participium ὢν quo hic utitur Chriſtus, tam verti poteſt, *erat*, quam eſt;) At Filius hominis quam diu eſt in terris, non aliter eſt & eſſe poteſt in cælis, quam quod iſtic brevi, vel certo futurus eſt. Cur enim alioquin de eodem Filio hominis, id eſt de ſe, interris verſans dixiſſet, *qui erat in cælis? Ioan.* VI. 62. ſignificans ſe tum re ipſa non fuiſſe in cælis, cum hoc diceret in terris, quod & Ioannes de verbo docuit, *verbum*, inquit, *erat apud Deum; hoc erat in principio apud Deum*; innuens illud poſtea, quod & expreſſe dixit in mundum veniſſe, & in mundo fuiſſe, & ſic cum in mundo verſaretur, ſeu poſt principium, apud Deum non fuiſſe. Cur dixiſſet, quod Filius hominis aſcenderit in cælum, ſi iſtic ſine aſcenſu eſſe poterat; quodque ex cælo deindè deſcenderit, ſi iſtic ſemper manebat? cur dixiſſet ſe exiviſſe à Patre & veniſſe in mundum, rurſus relinquere mundum & ire ad Patrem, in mundo amplius non eſſe, cum ſcilicet eſſet in cælis? denique, cur credimus Chriſtum poſt mortem in cælos aſcendiſſe, ſi ſimul in cælis & in terris apud Patrem, & in mundo eſſe propriè loquendo, eodemque modo potuit? Humanæ, inquies,

reſpectu

reſpectu naturæ iſta dicuntur. Hoc certè veriſſimum eſt: neque enim aliam habuit, quanquam divino modo genitam, & divinitatis pleniſſimam. Cur igitur, non ejuſdem etiam naturæ reſpectu credamus Chriſtum in cælis fuiſſe, quamvis interris adhuc verſaretur, quatenus brevi in cælum profecturus illicque ad finem mundi manſurus erat, noſtræ ſalutis procurandæ cauſa? Scire hic velim, quo pacto Filio hominis, qui & aſcendiſſe in cælum, & de cælo deſcendiſſe, (utrumque haud dubie ante ſuam mortem) dicitur, *Ioan.* III. 13. & aſcenſum in cælum, & de hinc ex cælo deſcenſum D. Opponens aptaverit? Sic enim argumentatus Chriſtus ut ſe cæleſtia poſſe docere oſtendat. Solus ille, hominum ſcilicet in terris cum hominibus verſantium, qui ex cælo deſcendit, in cælum aſcendit, ac porro cæleſtia docere poteſt: quomodo enim de cælo deſcendere poſſet homo in terris natus, niſi illuc prius aſcendiſſet. Filius hominis, qui ſum ego, de cælo deſcendit: Igitur Filius hominis aſcendit in cælum, erat in cælo, ac porrò cæleſtia poteſt docere. Quæro igitur, quo pacto Filius hominis aſcenderit in cælum, idque poſtquam in terris eſſe natus?

 quo

quo pacto item, postquam eo ascendisset, iterum indè descenderit. Nam quæ nos, de Filii hominis, id est Christi, postquam natus esset, in cælum ad Patrem ascensu, & postquam ab eo legationem suum accepisset, indè ad homines descensu, credimus, vobis fabulæ sunt. Date igitur meliora. Secundum divinam naturam ascendere non potuit, cum hæc semper sit in cælo, fatente D. Opponente, absurdumque foret, Filium hominis, proindè naturam hominis, tum nominare, cum intelligi debeat divina. Secundum humanam multo minus, si ea usque ad ascensum post mortem semper mansit in terris. An quatenus divinæ fuit unita? An igitur & infinita est, sicut divina, ut simul sit in cælis & in terris? Non magis igitur & ascendere & descendere potuit quam divina; & dabuntur duæ naturæ infinitæ. Nec verè Christus suæ in cælis mansioni, suam in terris mansionem opponit, si utraque propriè loquendo, eodemque sensu, & secundum utramque naturam, simul potest consistere. Iam quo pacto de cælo descendit hominis Filius? secundum divinam naturam non descendit, propter easdem, quas de ascensu secundum eandem naturam attulimus causas;

ſas ; addè quod deſcenſum intelligat Chriſtus, quem aſcenſus in cælum præceſſerit : an igitur humana natura, prius ſeſe univerit divinæ, & per eam in cælum ſubvecta ſit, quam ſeſe in terras demitteret divina, ut uniretur humanæ? non item deſcendere potuit ſecundum humanam naturam, ſi ſecundum eam, nunquam prius in cælum aſcenderat.

Capiat igitur tale Argumentum D. Opponens. Qui & ante mortem ſuam in cælum propriè loquendo aſcendit, & ex cælo deſcendit, & poſt mortem in cælum profectus eſt, ut illic eſſet, quique ſuam in cælis manſionem, ſuæ in terris manſioni opponit. *Ioan.* XVI. 4, 5, 18. & XVII. 11, 12, 13. ille ſummus Deus non erat, ut res ipſa docet, & D. Oppo. fatetur. Chriſtus, & ante mortem ſuam in cælum propriè loquendo, &c. ut ex ſuperius doctis patet. Ergo, &c. Naturarum, divinæ & humanæ diſtinctio, hîc locum non habet. Nam ſi Chriſtum Deum ſummum fuiſſe poſueris, omnia hæc excluſeris, ut demonſtratum eſt.

Argumentum. V I.

Ille qui in S. Scriptura dicitur Filius Dei verus, proprius, unigenitus, ex utero Iehovæ

ante

ante Luciferum genitus, proprium Patrem vocans Deum, &c. realiter & propriè habet eam essentiam quam Deus Pater. (Quia hæc est ratio, & definitio, veræ & propriæ Filiationis, seu generationis, esse productionem viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ.) Christus Dominus vocatur in Sancta Scriptura *Filius Dei verus*, 1. Ioan. 5. vers. 20. *proprius*, Rom. 8. vers. 32. *unigenitus*, Ioan. 1. vers. 14. & 18. & sæpe alibi *Genitus ex utero Iehovæ*, Psal. 109. vers. 3. & *proprium Patrem vocans Deum*, Ioan. 5. vers. 18. juxta Græcum textum. Ergo Christus Dominus habet eam naturam, quam habet Deus Pater.

Responsio.

Primum, Major propositio negatur. Nam quæ affertur ratio, prorsus ad rem non facit; tum quod hæc sit descriptio generationis animantium, ad conservationem generis, pereuntibus singulis; quæ in Deo & æternis, quorum essentia, nec augeri, nec minui, nec dividi potest, nec ulli mutationi obnoxia est, locum non habet; tum quod, nullum unquam generans, illam ipsam quam habet, sed aliam numero

numero generet essentiam; implicaretur enim contradictio; tum quod omnis generatio, sit productio illius quod non erat; contrà quam vos de Deo & Dei Filio dicitis. Alia est, inquies, ratio generationis divinæ, alia generationis animalium. Credo equidem. Non igitur ex ratione & definitione generationis animalium, divina definienda est generatio. Deus enim Filios generat, quos sibi similes facit, quoad creatum, vel genitum, increato & ingenito assimilari fas est, præsertim, quos Spiritu suo, & divinis imbuit qualitatibus; non verè essentiam suam, quæ unica est, & singularissima, multiplicando, & genus suum, propriè loquendo, propagando. Itaque hic locus, tantum abest, ut vos juvet, ut complura Argumenta contra vos suppeditet. vero

I. Quidquid verè genitum est, aliquando non fuit. Filius est verè genitus: Ergo, &c. Major probatur. 1. Quia omnis vera generatio, est mutatio à non esse ad esse; sicut contraria generationi corruptio, ab esse ad non esse. 2. Quia quod genitum est, generari desiit. Nam si adhuc generatur, quatenus generatur, genitum nondum est: quod verò generari desiit, etiam generari cepit: quod enim nunquam

cepit,

cepit, id nec unquam desinit. At quod generari cepit, hoc aliquando, nempe antequam generari inceperit, non fuit. Scio quid hic dicere soleatis; nempe Filium ab æterno & in æternum generari. sed scio quoque, id non Scripturæ tantum adversari, quæ Filium genitum esse dicit, quin & diem quo Christus genitus est definit, *Psal.* 11. (quem vos frustra æternitatem esse dicitis. Quis enim hodie, id est hoc die aliquid factum dicens, æternitatem intelligat?) sed etiam in iis, quæ consistentem, non fluentem, & per partes sibi succedentem naturam habent, contradictione involutum esse.

II. Nullus Filius habet eandem numero cum suo Patre essentiam: Esset enim sui ipsius Filius, & sui ipsius Pater; cum Filius & Pater, nihil sit præter suam essentiam. Christus est Filius. Non igitur habet numero eandem cum suo Patre essentiam.

III. Patris essentia est ingenita; Filii essentia est genita: Filii igitur essentia non est Patris essentia.

IV. Summus ille Deus, nullius est Filius. Implicaretur enim contradictio: cum summus Deus, nullum se ulla ratione majorem, nullum

nullum ſui Authorem agnoſcat. Chriſtus eſt Filius. Ergo, &c.

V. Summus ille Deus, eſt Pater omnium, & ipſius Chriſti, teſte univerſa Scriptura, & fide Catholica. Chriſtus non eſt Pater omnium: nec enim eſt Patris Pater, nec ipſius Chriſti. Ergo, &c.

VI. Chriſtus eſt ſummi Dei Filius. Non igitur eſt ipſe ſummus Deus. Nam cum ſummus Deus numero ſit unicus, ſequeretur, vel ſui ipſius eſſe Patrem, & ſui ipſius Filium, vel unicum numero, eſſe plures numero; quorum utrumque contradictonem implicat.

VII. Eſſentia Dei eſt numero unica & ſingulariſſima. Non igitur Deus ex ſua generat eſſentia. Eandem numero non generat; generaret enim ſe ipſum. Eandem ſpecie non generat; non enim eſſet unica numero & ſingulariſſima. Neque etiam perſonam ſine eſſentia generat, generaret enim non ens, quod enim eſt ſine eſſentia, illud eſt non ens; nec generaret ex eſſentia, ſi non generaret eſſentiam. Eſſentiam enim ex eſſentia generari neceſſe eſt.

VIII. Deus numero unicus & ſingulariſſimus, vel totam ſuam eſſentiam communicaret Filio, vel non totam: Si totam, quid haberet

beret ipſe: neque enim aliam numero communicat. Si non totam, nec Pater, nec Filius, ſummus Deus erit, hic enim totam habet Divinam eſſentiam, ſtatuendumque foret, divinam eſſentiam, numero unicam, in plures perſonas vel diviſam, vel ſaltem diductam ac derivatam eſſe. (Ubi enim nec diviſio, nec diductio ac derivatio ulla datur, ibi nec datur ulla generatio.) At ſi diviſa eſt, nullus eſt ſummus Deus. ſi diducta, nulla perſona, ſeorſim, ſed omnes conjunctim ſummus Deus erunt. Et Pater generando Filium, id eſt eſſentiam ſuam diducendo, & ipſe ſummus Deus eſſe deſinet, & Filium ſimiliter, qui ſummus Deus non ſit, generabit; quin unam ſuam perſonam, plures perſonas faciet, quod contradictionem implicat.

IX. Cujus Deus non ſemper fuit effectu ipſo Pater, ille non eſt Filius ab æterno genitus. Hujus enim Deus nullo non tempore effectu ipſo fuiſſet Pater. Chriſti, Deus non ſemper effectu ipſo fuit Pater. De Chriſto enim olim ipſe prædixit, *Ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* 2. *Sam.* VII. 14. *Hebr.* I. 5. Humana Chriſti natura hic nodum non ſolvit. Tacitè enim Deus negat ſe

pro

pro illo tempore Christi Patrem actu ipso fuisse. At hoc fieri non poterat humanæ naturæ respectu, si ea nihil ad filiationem Christi constituendam pertineat. Igitur Christus non est Filius ab æterno genitus.

X. Terminus ex quo, non est terminus ad quem. Patris essentia, in generatione Filii ex essentia, est terminus ex quo, ut res ipsa docet; Filius, proindè & Filii essentia, (nec enim Filius quidquam aliud est quam sua ipsius essentia) est terminus ad quem. E. Patris essentia; non est Filii essentia.

XI. Si Deus ille, natura summus & unicus, ex sua generaret essentia, Deum naturâ summum generaret & unicum. Nam si alium, jam ex sua non generaret essentia. Atqui hoc absurdum est & implicat contradictionem: esset enim Unicus & non Unicus, Ergo & illud.

XII. Si Deus ille unicus, ex sua generaret essentia, generaret essentia sibi similem, ipso D. Opponente fatente, qui, omne genitum generanti in natura dissimile, dicit esse monstrum, vel metaphoricè (id est non ex essentia) genitum. At consequens est absurdum. Generaret enim à se ipso existentem, à ne-

mine dependentem, abſolutè primam rerum omnium cauſam. Nam alioquin magna foret & toto genere diſtans inter generantem & genitum diſſimilitudo. Atqui hoc contradictionem implicat, eſſe genitum, & eſſe à ſe ipſo, nec pendêre ab alio, nec habere ſe priorem cauſam. Abſurdum igitur eſt & Antecedens.

XIII. Si Deus ille ſummus, ex eſſentia ſua generaret, darentur plures perſonæ iſtius eſſentiæ. Darentur igitur & plures eſſentiæ, Nam quot ſunt perſonæ, tot ſunt eſſentiæ, cum quælibet perſona, ſit Deus, ſit eſſentia; & multiplicatis ſubjectis, neceſſariò multiplicentur eorum prædicata. (Alioquin enim nominum tantum eſſet diverſitas, non perſonarum; quo impactus fuit Praxeus, & poſt hunc Sabellius, cum videret Dei ſummi unitatem, ſi quælibet perſona ſummus Deus eſſe dicatur, aliter non poſſe conſiſtere.) At plures dari ſummi Dei eſſentias, & conſequenter plures ſummos Deos, abſurdum eſſe fatetur D. Opponens. Fateatur igitur, & illud abſurdum eſſe, ex quo iſtud conſequitur. Si in iſtis ratio humana hæret, ſi ſeſe ex illis expedire non poteſt, ſi ea non aliter quam contra-

dictoriè

dictoriè concipit, linquamus illa, & ſacro velemus ſilentio, ea dicere & credere contenti, quæ non inani ſono Verborum, ſed certò ſenſu rerum mentum cogitationemque noſtram imbuant.

Deindè quod ad minorem propoſiti à D. Opponente Syllogiſmi attinet, verba 1. *Ioa.* v. *verſ.* 20. ad rem non faciunt; cum in illis; vox *veri*, ad Deum apertè referatur, non ad Dei Filium. *Scimus*, inquit, *quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoſcamus illum verum.* Alius igitur eſt, ille verus, nempe Deus, alius, illius Filius. Nam quod ſubjicitur, *& ſumus in illo vero, in Filio ejus Ieſu Chriſto,* non eam vim habet, quaſi ille verus, dicatur eſſe ſui ipſius Filius, (id enim contradictionem implicat,) ſed modus & ratio exprimitur, qua in illo vero ſumus, nempe, quatenus ipſius inſiti ſumus Filio, Ieſu Chriſto. Itaque, in Filio ejus, conſueto hebraiſmo, idem valet quod per Filium ejus, additurque, *Hic eſt ille verus Deus*, nempe cujus Ieſus Chriſtus eſt Filius, & cui nos per Ieſum Chriſtum ſumus inſiti, & *vita æterna*, id eſt vitæ æternæ ſupremus autor datorque. Cæterum Chriſtus, vere eſt Dei Filius verus, proprius, unigeni-

tus, verè proprius illius, Pater eſt Deus, quatenus & productione, & charitate, & dignitate, ac cum Deo ſimilitudine, omnium Dei Filiorum ſingulariſſimus eſt; qua de re hic non eſt ut pluribus diſſeramus.

Cichovius.

Confirmatur, quia omne genitum generanti in natura diſſimile, eſt monſtrum vel Metaphoricè genitum.

Reſponſio.

Hoc locum habet in generatione propriè dicta, quæ generis propriè dicti eſt propagatio. At Deus ille unicus, & à ſe ipſo exiſtens, omniquè carens principio, genus ſuum propriè loquendo non propagat, ut diximus. Alioquin enim non foret unicus, nec à ſe ipſo exiſteret, nec omni careret principio. Vidit hoc ipſe D. Opponens, ideò dictum ſuum limitaturus, excipit metaphoricè genitum; ubi cavendum eſt, ne metaphora, à voce, ad rem ipſam, captioſe transferatur, quaſi illi, qui à Deo geniti dicuntur, non verè nec propriè, eo modo quo Deus Filios generat, ab ipſo ſint geniti, ſed tantum ut intelligatur modum

dum divinæ generationis, impropriè & per Metaphoram generationem nuncupari. Præterea, verum non eſt, id ſolum excipi, de quo per Metaphoram generationis vox uſurpatur. Excipiuntur enim omnia quæ non ex generantis eſſentia generantur, licet propriè generari dicantur. Sic Sol innumera, etiam animalia generat, etiam ad hominis ipſius, teſte Ariſtotele, generationem concurrit; neque tamen ullum generat Solem, cum ſit naturâ unicus. At non magis naturâ unicus eſt Sol, quam Deus, nec Deus magis ex eſſentia generat quàm Sol: quin etiam illa, (quanquam hoc ad rem noſtram non facit, facit tamen ad regulæ illius univerſalitatem infringendam,) quæ ex eſſentia generant, non ſemper ſimilem generant eſſentiam. Nam, vel invito Ariſtotele, dantur animantia, quæ diverſi generis animantia, naturaliter generant.

Argumentum VII.

Chriſtus Dominus, eſt Deus-Homo. Ergo, ut ideò dicitur verus homo, quia habet naturam humanam; ita ideò verus Deus dicitur, quia habet naturam Divinam: cum, ubi verum hominem ſola facit veritas naturæ hu-

humanæ, ita verum Deum, ſola faciat veritas naturæ Divinæ.

Reſponſio.

Hoc Argumentum re ipſa idem eſt cum ſecundo, proindè & iiſdem laborat vitiis; nempè ignoratione Elenchi, ſi D. Opponens per naturam divinam, non intelligit, ipſam illam unicam ſummi Dei eſſentiam: ſi verò hanc intelligit, ambiguitate vocis Dei in Antecedente. Nam ſi voce Dei, ſummum Deum intelligit, falſum eſt Antecedens, & contradictionem implicat, & probatur idem per idem: ſi verò voce Dei, ſignificetur homo, ex Dei Spiritu tanquam divino ſemine conceptus, divini roboris, Sapientiæ ac poteſtatis, quin & immortalis ac ſpiritualis naturæ factus particeps, verum eſt Antecedens vereque Chriſtus eſt θεάνθρωπος Deus homo; ſed conſequentia Argumenti nulla.

Cichovius.

Antecedens probatur; quia Chriſtus eſt *verbum*, quod erat in principio Deus, in tempore factum Caro: *Ioan.* 1. *verſ.* 1. *&* 14.

Reſponſio.

Responsio.

Verbum, apertè à ſummo Deo diſtinguitur, cum apud ipſum fuiſſe docetur: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*; articulo voci Dei præfixo, ad ſignificandum ſummum Deum. Ideò cum mox additur, & *Deus erat verbum*, Voce, Dei, non ſummus Deus, ſed à ſummo Deo, divinum Spiritum, robur, ſapientiam, ac poteſtatem habens, intelligitur: Undè nec voci Dei, cum de verbo enunciatur, articulus præfigitur. Fruſtrà vero D. Opponens Apoſtoli verba pro arbitrio componit ac dirimit, quaſi dixerit, Verbum in principio fuiſſe Deum, in tempore factum Caro. Nam nec principium tempori opponi poteſt, cum omne principium ſit in tempore; nec verbum in principio erat Deus, quin ſimul eſſet & caro; nec in principio tantum, Deus erat, ſed & poſt principium, erat & eſt Deus; nec Apoſtolus dicit; Verbum erat in principio Deus; ſed verbum erat in principio apud Deum; innuens, illud poſtea fuiſſe apud homines, quod & expreſſè mox dicit, adventum illius in mundum, & inter homines converſationem, deſcribens.

verſ. 9, 10, 11, 12, 13, 14. Sed de hoc Ioannis loco plura *Argumen.* XXXI.

Cichovius.

Deindè, quia de Chriſto dicitur *Phil.* 2. *verſ.* 6. quod *in forma Dei* (ὑπάρχων) *exiſtens, formam ſervi acceperit, in ſimilititudinem hominum factus*: ubi ſignificatur, Forman ſervi ab eo acceptam eſſe, qui ſemper in Forma Dei exiſtens, eſt æqualis Deo Patri, & conſequenter, Formam Dei, perſonæ Chriſti Domini eſſe connaturalem: Formam verò ſervi, voluntarie, ex ſumma benignitate, & noſtri dilectione, acceptam vel aſſumptam.

Reſponſio.

Fruſtra in participio ὑπάρχων, præſidium quærit, cum illud non minus præteriti ſit temporis, quam præſentis, vertique hic debeat, qui cum eſſet in forma Dei; quod ex ipſo Latino diſcere erat interprete. Nam tum cum *ſe ipſum exinanivit, forma ſervi aſſumpta in ſimilitudine hominum factus, & figura repertus ut homo*, id eſt cum (ut ſtatim ſe ipſum explicat Apoſtolus,) *humiliavit ſe ipſum, factus obediens uſquè ad mortem, mortem verò crucis*; cum, inquam,

quam, hoc fecit, formam Dei deposuit. Est enim forma Dei, μορφὴ externa species, omnibus imperare, divina edere opera, peccata remittere, ab hominibus ob divinum robur, sapientiam ac potestatem bonitatemque adorari. Forma servi autem, tractari serviliter & modis indignissimis, colaphis, virgis cædi, conspui, in crucem agi: hinc & crucis supplicium, servile dicebatur supplicium. Nam formam Dei, pro summi Dei essentia; & formam servi, pro humana natura interpretari, commentitium est & arbitrarium. Hoc igitur est quod celebrat in Christo Paulus, hæc est illa animi humilitas, quam nobis in illo imitandam proponit, non verò summi Dei incarnatio, aut (ut vetustiores locuti sunt) inhominatio. An enim rapinam ducere potest Deus ille summus, se Deum illum summum esse? At hoc in Christo laudibus effert Apostolus, quod non duxerit rapinam, se æqualem esse Deo, seu, ut Græca Phrasis sonat, se esse instar Dei; tacite, oppositum innuens, nempe, quod id duxerit esse Dei donum ac gratiam; ideoque ob tantam dignitatem ac divinitatem non superbiit, nec sese jactavit; sed ea summa cum animi modera-

tione utens, quoad Deus voluit, eodem rursus volente, protinus ea uti desiit. An item Deus summus sibi ipsi potest esse æqualis? Sicut autem in forma Dei esse desiit Christus, cum ex summa animi humilitate, (quæ virtus etiam, in summo Deo locum propriè loquendo non habet, cujus tamen in Christo deprædicandæ causa, Apostolus ista scribit) formam servi suscepit, sic postquam à Deo, in tantæ humilitatis præmium, ad tam sublimem evectus est dignitatem, (quod itidem summi Dei Majestas longissimè repellit,) qualem in sequentibus describit Apostolus, servilis illa forma penitus est abolita. Cæterum hic locus, veram Christi θεαντροπέιαν nobis ob oculos ponit, idque contraria quam Adversarii volunt ratione. Nam dum Paulus Christum, non Deum, sed in forma Dei, & instar Dei cujusdam (nec enim in Græco apponitur articulus, qui generalem Dei vocem ad summum Deum restringat,) fuisse, idque non rapinam dixisse dicit, eo ipso Christum naturâ hominem fuisse docet: dum vero rursus, eundem, similem hominum factum, & figurâ, non verò re ipsa, ut hominem repertum fuisse asserit; cum scilicet Adversariorum

suorum

ſuorum poteſtati ſeſe permitteret, (contrà quàm Samſoni olim contigerat, qui re ipſa ut homo deprehenſus fuit, cum detenſis crinibus, priſtino robore amiſſo, præda hoſtium ſuorum factus eſt:) eo ipſo Chriſtum neutiquam hominem, nempè aliorum ſimilem, ſed Deum, divini Spiritus, virtutis ac poteſtatis, habita ratione, fuiſſe ſignificat.

Itaque ex iis quæ dicta ſunt argumentor: Qui in forma Dei, & inſtar Dei cujuſdam immortalis fuit, ille Deus non fuit altiſſimus. Sicut enim in forma ſervi alicujus eſſe, non eſt vere & re ipſa ſervum eſſe, ſed ſervi ſpeciem habere; ſic neque formam Dei alicujus immortalis habere, eſt re ipſa Deum immortalem eſſe, ſed illius ſpeciem præbere. Chriſtus in forma & inſtar Dei cujuſdam fuit. *Phil.* II. 6. Ergo, &c.

Cichovius.

Denique quia vocatur, Deus & Agnus, *Apoc.* 14. *verſ.* 5. *Primatiæ Deo & Agno*, cum uno articulo: & *cap.* 22. *verſ.* 3. ubi etſi ſit diſtinctio articulorum, ſequentia tamen verba arguunt, ſermonem de una Perſona eſſe. Nam in Originali textu ita habetur: *Sedes Dei &*

Agni

Agni in ipsa erit, & *servi ejus* (En una Persona) *servient ei* : (en & hic una) *& videbunt faciem ejus* : (en & hic una) *& nomen ejus*, (cujus, nonne Agni qui Deus sit :) *in frontibus eorum*.

Responsio.

Nusquam Christus solus designatur, quoties Dei, & Agni fit mentio; sed Dei voce summus significatur Deus, Christi Pater; Agni voce, ipse Christus; & ubique articulus, ad diversam personam tanto magis designandam, voci Agni peculiariter præfigitur. Idem fit, *Apoc*. XIV. 5. Primitiæ τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ, Contra quam asserit D. Opponens. *Apoc*. XXII. 3, 4. pronomine singularis numeri usus est Ioannes, non ut indicaret Dei illius summi, & Agni, unam esse personam; sed ut doceret, nihil hic referre, sive Dei ipsius, sive Christi personam intelligas, propter Christi cum Deo indivulsam conjunctionem & unitatem; nisi quis dicere malit, pronomen ad Deum, quippe principalem referendum esse. Nam & alibi in hoc libro, eadem ad Deum referuntur.

Cichovius.

Ex quo ſatis veriſimiliter inferam; etiam illo acroamate, *Sedenti in Throno & Agno, benedictio & claritas*, &c. unam Perſonam nempe Deum hominem deſignari.

Reſponſio.

Quis credidiſſet repertum unquam iri, qui ſedentem in Throno, *Apoc.* v. deſcriptum, & Agnum, unam diceret eſſe perſonam? quis caput hoc legit, & non protinus vidit, ſedentis in Throno, & Agni diſtinctas eſſe perſonas? Sedens in Throno librum tenet in manu dextra, ſeptem ſigillis obſignatum, quem qui aperiret, imò aſpicere poſſet, nullus reperiebatur uſquam. *verſ.* 1,2,3. quod cum multis lachrymis defleret Ioannes, dicitur ipſi, leonem ex tribu Iuda, qui Agnus eſt, Davidis radicem, viciſſe, ut librum aperiret, & ſolveret ſignacula ejus. *verſ.* 5. An verò ſedens in Throno, libri iſtius Author victoria ulla opus habuit, ut eum aperire poſſet clauſum, & obſignatum ſolvere? protinuſque videt Ioannes, & ecce in medio Throni & quatuor Animalium, & in medio ſeniorum,

Agnum

Agnum ſtantem quaſi mactatum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem. *verſ.* 6. An una perſona ſunt qui locis diſtincti ſunt? quorum unus ſedet in Throno, alter ſtat in Medio? alter Regis magnificentiſſimi habet ſpeciem, alter Agni? alter omnis mortis exſors, alter mactationis ſuæ retinens veſtigia? alter humano capite, alter agnino, ſeptem cornibus & totidem oculis inſtructo? Quid porro? *Et venit Agnus, & accepit librum ex dextra manu Sedentis ſuper Thronum*; verſ. 7. Etiamne hic unam eandemque dices eſſe ſedentis in Throno, & Agni perſonam? Una eademque perſona, & in throno ſedit, & ad ſe ipſum in throno ſedentem venit? & librum non ex alterius perſonæ manu, ſed ex ſua accepit? & cum ex dextra acciperet manu, ſiniſtram opinor ſuam adhibuit? Apagè tantas ineptias! Ulterius, coram quo, ob acceptam ex manu dextra Sedentis in Throno librum, procumbunt illa quatuor Animalia, ac viginti quatuor ſeniores? non coram ſedente ſuper thronum; is enim dedit non accepit librum; ſed coram Agno. *verſ.* 8. Et poſtquam procubuiſſent, cui canunt novum, nec olim auditam Oden? Non ſedenti ſuper thronum,

thronum, cui jam ab antiquo cani ſolitum fuit: ſed Agno. *verſ.* 9. *Dignus es accipere librum, & aperire ſignacula ejus.* quis ita ſedentem in throno, id eſt ſummum illum Deum, libri Authorem, laudaverit? quam ob rem vero dignus? *quia mactatus es.* hæccine igitur Sedentis ſuper thronum perſona eſt? & ſedens ſuper thronum, niſi mactatus eſſet, ut librum acciperet & aperiret, dignus non erat? *& emiſti nos.* cui? Deo, id eſt ſuper thronum ſedenti. Alia igitur Dei ſuper thronum ſedentis, alia Agni perſona eſt. quo vero pretio? *In ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & gente.* Hoc de Agno præclarè dicitur, at de ſedente ſuper thronum, id eſt de Deo Altiſſimo, non aliter quam quatenus Agnus, qui ſanguinem fudit, illius fuit proprius. Canunt porrò, verſ. 10. *Et feciſti nos, Deo noſtro*; proindè alii perſonæ; hæc vero non alia quam ſedentis in throno eſt; *Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* His hoc modo concinentibus, accinit voce magna circumſtantium Angelorum innumerabilis multitudo *verſ.* 11, 12. *Dignus eſt Agnus qui mactatus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & robur, & honorem,*

& glo-

& gloriam, & benedictionem. En iterum soli adhuc Agno qui mactatus fuerat, accinitur; Sedentis super thronum non sit mentio; nempe quod non unius personæ nomen sit, sedentis super thronum, & Agni, sed duarum; illud summi Dei, hoc Christi: donec tandem omnes in universum creaturæ acclamarent, utrique personæ laudes dicentes, *vers.* 13. *Sedenti in throno, & Agno* (peculiari ad vocem Agni addito articulo,) *benedictio, & honor, & gloria, & robur, in secula seculorum.* Hicne nomen utrumque in unam cogerent personam, quod antehac in duas clarissime distinctum fuerat? quis Agnum† & hominem unam diceret esse posse personam, nedum ut Christus Agni nomine & specie Ioanni monstratus, una eademque cum Summo Deo possit esse persona? Nimirum hoc illud est acroama, sicut ab initio regnantis Christi re ipsa novum, *Apoc.* v. 9. sic nunquam apud homines novitatis deponens speciem. *Cap.* XIV. 3. quod nemo potest discere præter eos qui redempti sunt de terra, & quorum in frontibus Scriptum est Patris Agni nomen. *vers.* 1. 3. ut proinde mirum non sit, etiam D. Opponentem *dis dia p ason* in isto acroamate deerasse.

† proprie dictum

Novum

Novum quippe aliis & plane absonum videtur, præter summum illum Deum, Christo homini laudes divinas tribuere. hinc fit ut, aut Christum unum eundemque cum Deo altissimo dicant esse essentiâ, sicut D. Opponens, dissono commento, unum eundemque, dixit esse personâ; aut si non alius naturâ fuerit quàm homo, divinas ei laudes tribuere, quantumvis sese pro nobis mactari passus sit, quantumvis nos Deo emerit in sanguine suo, eidemque Reges & Sacerdotes fecerit, quantumvis librum illum, quem nulli alii nequidem aspicere fas erat, ex Manu Dei, omnemque adeo in cælis & in terris potestatem acceperit, profanum & blasphemum (blasphemi ipsi) putent. Sed videamus, quibus tandem Machinis admotis, D. Opponens, ad sententiam tam apertè falsam & absurdam deductus sit.

Cichovius.

Moveor primò verbis *Apoc. 6. vers. 16.* ubi damnati dicunt: *Cadite montes super nos; & abscondite nos, à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsius.* Hîc pronomen singulare (IPSIUS) indicat

unitatem personæ Sedentis in Throno & Agni; maximè quod per diem talem, diem adventus Christi ad judicium sæpe intelligant Apostoli; ut 1.*Cor*.1.*vers*.8. & 3.*vers*. 13. & 5.*vers*. 5. & *Philip*. 1.*vers*.6. 10. & 2.*Thess*.2.*vers*.2. & 2.*Timoth*. 1.*vers*.18. & alibi.

Responsio.

Meritò, qui nulla veritatis evidentia, ad eam amplectendam adduci possunt, levissimis conjecturis in errores impelluntur. Pronomen *ipsius*, ad Agnum refertur, ut ex repetita voce, iræ, Agno, paulò ante tributæ manifestum est: quanquam, etiamsi ad utrumque, & sedentem super Thronum, & Agnum referretur, non unitatem personæ utriusque, sed unitatem denotaret Iudicii. Adde locutionem hic non propriam, sed allegoricam esse. Deus enim semel in throno visus, similitudine à rebus humanis sumpta, inducitur in eodem throno impios judicaturus considens, unà cum Agno, irâ in ipsos inflammato; proindè & impii, scelerum sibi conscii, inducuntur horrentes faciem Dei & iram Agni. De extremo judicio hic nondum agi, (etsi eadem

dem allegoria recte illi aptari possit) apertio sigilli sexti docet, *vers.* 12. post quam restabat adhuc septimi sigilli apertio, *Cap.* VIII. 1. & multa ante mundi finem & extremum Iudicium peragenda.

Cichovius.

Moveor secundò, Quia qui *Apoc.* 4. describitur tanquam sedens in Throno; hic *Cap.* 5. *vers.* 6. vocatur Agnus, cum adjunctis & attributis Sedentis in Throno, descriptis Capite Quarto. Dicitur enim Agnus visus in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, *vers.* 6. quod ipsum *Cap.* 4. dicitur de sedente in Throno. Dicitur item, Agnus habens oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, *vers.* 6. qui Capite Quarto vocantur septem lampades ardentes. Capite verò primo Septem stellæ; quas visus Christus habebat in dextra sua. Legatur & expendatur Caput primum, & quintum: & facile, non incurius Lector advertet, adjuncta Sedentis in Throno, descripta capite quarto, tribui Christo Domino, capite primo vel quinto.

Responsio.

Petit principium D. Opponens. Hoc ipsum enim in quæstione est, an is qui *Apoc.* IV. describitur tanquam Sedens in Throno, *Cap.* V. vocetur Agnus. Et quæ hic adjuncta & attributa commemorat, contrarium evincunt; nempe aliam esse Sedentis in throno, aliam Agni personam. Agnus enim visus est, *Cap.* V. 6. non in ipso throno sedens, sed in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, id est, in illo medio in quo thronus erat cum quatuor animalibus, & in medio, quod viginti quatuor Seniorum considentium orbis effecerat; isque stans, non sedens, & ex illo medio venit, ad sedentem in throno, ut ab ipso librum acciperet. Phrasis in medio throni D. Opponentem decepit, cujus significationem petere potuit ex eo, quod etiam quatuor illa Animalia in medio throni fuisse dicantur, *Cap.* IV. 6. quæ certè non in throno ipso fuerunt collocata, sed, ut statim adiicitur, in circuitu throni. Dicitur Agnus oculos habere septem, qui sunt septem Spiritus Dei, qui mittuntur in omnem terram, *Cap.* V. 7. iidemque vocantur

tur lampades ardentes, *Cap.* IV. 5. ſed iſtæ lampades ibidem dicuntur fuiſſe ante thronum, non verò in capite, & pro oculis Sedentis in throno; Septem ſtellæ quas Chriſtus in dextra ſua habebat, Angeli erant, Septem Eccleſiarum. *Cap.* 1.20. id eſt homines Eccleſiis illis præſidentes, non Spiritus in omnem terram mitti ſoliti, ut ex Epiſtolis ad eos à Chriſto miſſis patet.

Cichovius.

Moveor tertiò, Quia ſedens in Throno, capite IV. bis, nempe *verſ.* 9. & 10. vocatur vivens in ſecula ſeculorum: quem ſibi titulum tanquam proprium vendicat, ipſemet Chriſtus: *Apoc.* 1. *verſ.* 18. Ut proindè juſta & rationabilis conjectura ſit, acclamationes deſcriptas, capite quarto & quinto, uni Perſonæ, nempe Deo-Homini Chriſto, cujus gloria & triumphi hac Apocalypſi, per ſe & ex profeſſo deſcribuntur, (ut patet ex initio ipſius libri) factas eſſe, eidemque eſſe dictum, Sedenti in Throno, & Agno, benedictio & claritas, &c. de quo immediate ante dictum eſt; Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, &c.

Responsio.

Hoc, quid aliud est, quàm Argumentum ex puris affirmantibus in secunda figura? Neque enim, quia se vivere in secula seculorum dixit Christus, *Apoc.* I. 18. idcirco hunc titulum tanquam sibi proprium vindicavit, cum & Angeli in æternum vivant, & nos victuri simus per Christum, sicut Christus vivit per Deum Patrem suum: *Ioan.* VI. 57. Nam si dicat, Christum ita se viventem esse dicere, ut ex se ipso vivat, & absolute primus vitæ sit Author, quo sensu Deus ille summus sese viventem appellat, & in Scriptura appellatur, illud ipsum pro concesso sumet, quod versatur in controversia: Non ita vero usquam describitur Christi gloria & triumphi, quin eorum primus Author memoretur, & ad eum omnis Christi revocetur & redundet gloria. Sine dubio eidem Agno canitur benedictio, & claritas, &c. *Apoc.* V. 13. de quo ante dictum est, Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem: sed non soli. Nam post tributas soli Agno laudes, quippe qui solus librum accepit, & solus pro nobis mactari se passus est, recurritur ab omnibus, ad Primum omnis boni Authorem

Authorem ac fontem, eiquè primo loco, ut par erat, Agno ſecundo debita dicuntur præconia, & ſic cæleſtis illa doxologia plenis numeris concluditur.

Cichovius.

Moveor quarto, Quia *Apoc. 7. verſ.* 10. ſcriptum eſſe lego, in Originali textu, *Salus ſedenti ſuper Thronum* (τȣ̃ Θεȣ̃ ἡμῶν) *Dei noſtri, & Agno.* Ubi clariſſimè, idem eſſe oſtenditur, Sedens in Throno Dei noſtri, & Agnus. unde etiam eodem capite *verſ.* 9. innumerabiles Sancti dicuntur, Stantes ante Thronum, & in conſpectu Agni: quos idem Agnus in medio Throni exiſtens, (*verſ.* 17.) regit, & deducit ad vitæ fontes. Satis ergo ſolidè & verè docetur, non ſolùm nomine Dei & Agni, ſed etiam nomine Sedentis in throno & Agni, unam eandemque intelligi Perſonam, in duabus naturis ſubſiſtentem: nempe Verbum Carnem factum, Deum-Hominem Ieſum Chriſtum, qui in Forma ſervi, & ſecundum carnem eſt Filius David, natus ex Patribus: in Forma verò Dei eſt Dominus David, æqualis Deo Patri: qui eſt ſuper omnia, (quod eſt Deum eſſe Altiſſi-

mum) Deus benedictus in sæcula, *Rom.*9. *verſ.* 5.

Reſponſio.

Ego in Originali textu lego, *Salus Deo noſtro, Sedenti ſuper Thronum, & Agno, Apoc.*VII. 10. peculiari articulo ad vocem Agni, ut ſemper, appoſito, qui idem impedit, quo minus, Dei noſtri legamus. Sequeretur enim alium eſſe Sedentem in throno Dei noſtri, alium Agnum. Articuli enim peculiaris appoſitio, diſtinguendi vim habet. Impedit & ipſe ſitus verborum; quis enim tam propoſtere loqueretur, Salus Dei noſtri ſedenti ſuper thronum. Itaque *Dei noſtri* vitioſa haud dubie lectio eſt: quæ etiamſi vera eſſet, nil aliud evinceret, quam Agnum ſedere ſuper thronum Dei noſtri, nempe illius Altiſſimi, quod facilè concedimus, A*poc.* III. 21. ſed Agnum eſſe Altiſſimum Deum, cujus thronus ille proprius eſt, quique abſolutè Sedens in throno appellatur, & Deus noſter dicitur, tantum abeſt, ut hinc oſtendi poſſit, ut contrarium ejus liquidò appareat. Quod verò innumerabiles illi Sancti dicantur ſtetiſſe coram throno, & coram Agno, hoc quoque ipſum Argumento eſt, diſtinctas

distinctas esse Sedentis in throno, & Agni personas, propter repetitionem non articuli tantùm, sed etiam vocis *coram*; sive, in conspectu; quid enim alioquin attineret, rem eandem bis dicere? Idem docet & alter locus *vers*. 1. in quo Agnus, apertè itidem à Sedente in throno distinguitur. De hoc enim dicitur, *Et habitàbit super eos*, *vers*. 15. nempe Sanctos; de Agno vero, *pascet eos*, *& ducet eos*, *ad vivos fontes aquarum*. De phrasi *in medio throni* D. Opponenti itidem contraria jam diximus. Atque hæc sunt solida illa & vera D. Opponentis documenta, quæ tantum abest ut sententiam illus adstruant, ut eam penitus evertendi vim habeant. Ita necesse est evenire illis, qui sese manifestæ opponunt Veritati. Novo insuper & inverso loquendi genere utitur, dum unam personam, dicit in duabus naturis subsistentem; naturas potius duas, in una persona dicere debuit subsistentes. Reliqua quæ in subsidium conjecturis suis aliundè advocavit, & hîc infarsit, de verbo caro facto, de forma servi, & de forma Dei, de Christo, Filio Davidis secundum carnem, eodemque Davidis Domino, & Deo æquali, & super omnia Deo benedicto in secula; peculiaria sunt illius

Argumenta, suis locis à nobis partim jam refutata, partim adhuc refutanda.

Nunc verò vicissim à nobis unum atque alterum Argumentum recipiat. Qui distinctè à Deo summo divinis afficiendus est, & afficitur laudibus, ille non est Deus summus. Christus distinctè à Deo summo divinis afficiendus est, & afficitur laudibus, *Apoc*.v.8,9, 12,13.Ergo,&c.Item:Cui divinitas tribuitur, tanquam essentiâ & personâ à summo Deo distincto, ille non est Deus summus. Christo divinitas tribuitur,tanquam essentia & persona à summo Deo distincto: tribuitur enim illi tanquam Agno mactato,& omnem propterea à Deo in cælo & in terra potestatem adepto. *Apoc*.v.5,6. & sequentibus; imprimis *vers*.12. (ubi vulgata expressè divinitatem habet.) *Phil*.II.9,10,11. *Rom*.XIV.9. Ergo, &c.

Argumentum. VIII.

Si Christus Dominus solam naturam humanam haberet, nec posset, nec deberet, indè laudari; quod *non confunditur nos vocare Fratres*: & quod *participavit carni & sanguini*, quodquè *ex eis*, *quæ passus est*, *didicit obedientiam*. Nam si Christus solam naturam humanam

nam haberet, ita non posset non esse homo, sicuti quivis alius purus homo. Si verò non posset non esse homo, non posset negare se esse Fratrem hominum; nec posset non participare carni & sanguini, cùm necessariò (ut quivis alius homo,) constaret carne & sanguine. Non ergo laus ejus alia posset esse, quam quod, etsi valde à Deo exaltatus, non oblivisceretur se hominem esse: quod ei cum multis Regibus & Monarchis, etiam Ethnicis, commune foret. Quo modo verò non deberet discere obedientiam, ex eis, quæ passus est, si nunquam non fuisset naturalis Dei servus? Atqui Christus Dominus magnopere à S. Paulo laudatur, quod non confunderetur nos vocare Fratres; & quod participaverit carni & sanguini: *Hebr.* 2. *vers.* 11. & 14. quodquè cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, ibidem *cap.* 5. *vers.* 8. Ergo Christus Dominus non solam humanam naturam habet, sed etiam Divinam; in qua ab æterno existens, in tempore se ipsum exinanivit, formam servi accipiens, seu factus homo.

Responsio.

Responsio.

Negatur major, quod ad primum, & tertium Membrum attinet. Nec ad rem facit, quod Christus non posset non esse homo, si quidem etiam post assumptam secundum D. Opponentem humanam naturam homo non esse non potest; & tamen meritò laudatur, quod non erubescat, in se credentes, suos appellare Fratres, quodque per ea quæ passus est obedientiam didicerit, imò non antè utroque hoc nomine laudari potuit, quàm homo natus esset. Hominis istæ sunt laudes, non summi Dei. Hinc & ipse, D. Opponens, quam antea negaverat laudem, mox in eo agnoscit, quod Christus valdè à Deo exaltatus, hominem se esse non oblivisceretur; sed ait, hanc illi fore multis cum Regibus & Monarchis, etiam Ethnicis, communem. Atqui Reges isti, quanquam morti, non minus quam cæteri homines obnoxii, magnam tamen ex eo consecuti sunt laudem, tantòque majorem, quantò major eorum fuit dignitas. Quid igitur de Christo dicemus, qui mortali deposita natura, cælestis omnium, non hominum tantum, sed etiam Angelorum, Dominus & hæres

hæres à Deo effectus est; & tamen, non hominem tantum sese fuisse mortalem meminit, sed Fratrum nomine, suos, & secum ex eodem Patre genitos, quanquam apud mundum viles & abjectos, compellare, pudori sibi neutiquam ducit? Aliud enim longè est, hominem sese non negare, & hactenus omnium hominum fratrem, aliud suorum vilitatem minimè dedignari. Illud nemo Regum, nisi insanus, fecit, ut sese hominem esse negaret: hoc plerique faciunt, qui ex humili sorte, ad magnas opes ac dignitates perveniunt, ut eos sui generis pudeat. Itaque terminos egregie mutavit D. Opponens, dum prius illud, in minuendis Christi laudibus, pro hoc posteriore reposuit. Iam porrò quilibet hominum laudatur, quod bonas artes, bonos mores didicerit, quod multa tulerit feceritque, sudaverit & alserit, sapientiæ & virtutis consequendæ gratia. Et Christus omnis laudis erit exsors, quod tam duris à Patre exercitus, omnem illius obedientiam penitus exhausit, & aliis in eadem obedientia sudantibus ac laborantibus, mitem sese placidumque, quippe malorum omnium gnarus, præbeat? Nec refert, quod Christus naturalis Dei fuerit servus. Nam etsi

omnes Deo naturaliter ad ſerviendum ſint obſtricti, non omnes tamen, aut tantis à Deo ſubjiciuntur laboribus, aut Deo ſeſe tam morigeros ac dociles in omnibus præbent, quam Chriſtus.

Accipiat & hic D. Opponens unum atque alterum Argumentum. I. Qui talis eſt Dei Filius, ut homines in ſe credentes habeat habiturusque ſit pro fratribus, ille non eſt Filius, idem numero Deus, qui Pater eſt, genitus: quo pacto enim ullum fratrem haberet? Chriſtus eſt talis Filius, &c. *Rom.* VIII. 29. *Hebr.* II. 11, 12, 17. Ergo, &c. II. Qui quatenus eſt Filius, multa paſſus didicit obedientiam, ille non eſt Filius, idem numero cum Patre Deus, genitus: Hic enim nihil patitur, nulli diſciplinæ ſubjicitur, nihil diſcit. Chriſtus, quatenus eſt Filius, multa paſſus, didicit obedientiam, *Hebr.* V. 9. Alioquin enim nulla in eo eſſet Dei gratia, quod Filio ſuo; noſtri cauſa non pepercerit, eúmque tam duris ſubjecerit laboribus, ſi hæc diſciplina verè & propriè nullatenus ad ipſum, quatenus eſt Filius, pertinuit. Ergo, &c.

Veniamus nunc ad Minorem Argumenti nobis oppoſiti; Negamus Chriſtum reſpectu

ſecundi

ſecundi membri, id eſt participationis carnis & ſanguinis laudari, *Hebr.* II. 14. ſi participare carni & ſanguini, ſit naturæ mortalis participem fieri. Non laudat Chriſtum hoc nomine D. Author, ſed docet, Chriſtum ideò, & ipſum mortalem fuiſſe natum, quod mortalibus ſervandis à Deo deſtinatus eſſet, ut eos metu mortis liberaret, poſtquam ipſe ex morte ad vitam evaſiſſet immortalem; quippe qui non venit, ut Angelos manu injecta, in libertatem ex ſervitute vindicaret, ſed Abraami ſemen, id eſt Abraamidas, ſeu homines mortales, Abraami per fidem filios. *verſ.* 15, 16. Undè tale iterum D. Opponenti objicimus Argumentum: Si Chriſtus, perſonâ ſuâ, non tantum mortalis homo fuiſſet, ſed etiam ſummus ille Deus, nunquam alios mortales, mortis metu liberaſſet: ſemper enim illos turbaſſet, immenſa hæc, inter ipſorum perſonas, una tantum mortali natura præditas, & Chriſti perſonam diverſitas, ut res ipſa docet. Atqui abſurdum eſt Conſequens: Ergo & Antecedens. Quod hic, de exinanitione ſubjicit, & ipſi contrarium eſt, (neque enim unquam, inanem & vacuum ſeſe facere Chriſtus illâ naturâ potuit, quâ ab æterno ſummus

Deus

Deus exſtitit,) & ad alium locum pertinet; ſicut & quod de ſervi forma addit, quam accipere, ille, hominem fieri putat. Vide Reſp. ad Arg. VII.

Argumentum. IX.

Si Chriſtus Dominus non haberet naturam Divinam, pecaſſet contra præceptum de honorandis parentibus: quando eis dicebat: *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc. 2. verſ. 49. &, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Ioan. 2. verſ. 24. &, *Quæ eſt Mater mea, &c.* Matt. 12. verſ. 48. Mar. 11. verſ. 33. &, *Mulier, ecce filius tuus;* Joan. 19. verſ. 26. At Chriſtus hæc dicendo non peccavit: quia peccare non potuit. Ergo Chriſtus, præter naturam quam habuit à Matre, (propter quam non ſolum Matri, ſed & Patri exiſtimato fuit ſubjectus; *Luc. 2. verſ. 51.*) habuit Divinam: ratione cujus ſolius ſe Dei Patris Filium agnoſcebat.

Reſponſio:

Quid audio? Deus, omnis recti fons & Author, Matrem ſuam honore non affecit? An

An quia Maria non eſt verè Dei Mater? qui fit igitur ut Dei Mater & Deipara vocetur? qui fit ut illius interceſſiones tanta ambitione quærantur, ſi à Chriſto quatenus Dei Filius, ipſeque Deus ſummus fuit, honore non fuit affecta? Sed ad Argumentum. Ignorat & hic Elenchum D. Opponens. Fatemur enim, Chriſtum, præter naturam quam ex Matre habuit, divinam habuiſſe ex Patre, Sanctum nimirum illum Spiritum, ex quo conceptus fuit, ratione cujus, ſolius ſe Dei Patris agnoſcebat Filium. Sed nos verba D. Oppon. accipiamus, quo ipſe vult ſenſu, naturam divinam, pro ipſo ſummo Deo: Itaque conſequentiam negamus Majoris. quod enim eſt in eo peccatum, quod Chriſtus puer parentibus dixerit, Nulla erat cauſa ut me tanta cum ſolicitudine quæreretis? an neſciebatis quem ego Patrem habeam? Rectà igitur in domum illius ire poteratis, in ea me, ut videtis, protinus reperturi? Non item peccavit cum Matri dixit, *quid mihi & tibi Mulier? nondum venit hora mea.* Uſus enim eſt divina authoritate, quàm ſicut in omnes, ſic in ipſam Matrem, tanquam Chriſtus ille Dei, habuit, ut doceret, in iis quæ ad ſuum munus

& opera divina patranda ſpectarent, matris ceſſare reſpectum, nec ulli fas eſſe in ea ſeſe ingerere. Neque peccavit, cum dixit, *quæ eſt mater mea? qui ſunt fratres mei.* Nihil enim aliud ſignificare voluit, quam, longè pluris apud ſe fieri, ſi quis ſuus ſit diſcipulus, & voluntatem Patris ſui cæleſtis faciat, quam ſi ſua ſit ſecundum carnem Mater, ſuus ſecundum carnem frater. Non Matrem, non fratres negavit Chriſtus, ſed Matri & fratribus, diſcipulos ſuos prætulit. Hinc & illi mulieri beatam ferenti matrem ipſius, reſpondit; *quin imo beati ſunt qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt.* Denique tantum abeſt, ut contrà honorem matri debitum, Chriſtus peccaverit, ut eam vel maximè honoraverit, tum cum ipſe moriens, & poſt mortem in cælum profecturus, ipſi ſui loco filium relinquit, diſcipulum ſuum chariſſimum, qui curam illius in terris, tanquam matris propriæ gereret. An quia illam mulieris non Matris compellavit nomine? Nimirum terrenas illi cogitationes eximere voluit, & ad cæleſtes curas animum erigere; oblivisceretur carnalis iſtius vinculi, nihil per ſe ad ſalutem æternam profuturi, & ſervam ſeſe cogitaret, non Matrem illius, qui mox

mox ſuperata morte, è terris abiturus eſſet in cælum, divinam in ipſam, & in omnes exerciturus poteſtatem. Et, ſi Chriſtus, quia ſummus Deus eſſet, licentiam habuit, ita cum ſua ſecundum carnem Matre agendi loquendique, cur eam habuiſſe negandus eſt, quod illius & omnium divinus & cæleſtis eſſet à Deo conſtitutus Dominus? Cæterum ex iſtis Chriſti dictis, quibus Matrem ab ipſo honore non fuiſſe affectam credidit, perſpicere poteſt, quam fragili fundamento nitatur totum illud quod ſuper Chriſti Matrem, quia Mater ejus ſecundum carnem fuit, hominum ſententiis exædificatum eſt.

Argumentum X.

Si Chriſtus ſolam humanam naturam haberet; maledictus eſſet, qui in eo confideret: quia *Ierem.* 17. *verſ.* 5. divinum oraculum eſt: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* At non eſt maledictus, qui confidit in Chriſto: ſecus maledictus eſſet S. Paulus, qui ſæpius Chriſtum ſpem noſtram appellat. Ergo Chriſtus, non ſolam naturam humanam habet, ſed etiam Divinam.

Responsio.

Negamus consequentiam Majoris. Nam verba Prophetæ quibus ea fulcitur, de illo agunt, qui confidit in homine mortali, (in carne, ut statim additur, & *carnem ponit brachium suum;*) eoque tali, qui servandi à Deo non accepit potestatem: alioquin qui credit in hominem cui servandi potestas à Deo data est, sicut olim Israëlitæ crediderunt in Mosen, non in hominem credit, sed in ipsum Deum: denique de eo Propheta loquitur, qui fiduciâ in Deum relictâ, salutem quærit in homine; ideò adjicit, *& cor ejus recedit à Deo*, sicut Israëlitæ, imminentibus Babyloniis, respectabant ad Pharaonem, Deo suo deserto, quorum, hoc nomine objurgandorum causa, divinum istud oraculum est proditum. Quæ omnia cùm locum non habeant in iis, qui Christo homini, in Servatorem dextrà Dei exaltato, & cælesti gloria & honore coronato, confidunt, & consequenter, ipsi Deo, per Christum, idcircò summa cum impietate abutuntur hoc dicto, qui illud ad Christum & Christianos transferunt: quin & Elenchum in hoc Argumento ignorasse D. Opponens dicendus est. Eo

ipſo enim in Chriſto Divina natura eſſe ſtatuitur, dum Divinus & cæleſtis Rex à Deo nobis datus eſſe agnoſcitur.

Argumentum XI.

Si Chriſtus Dominus, naturam tantum humanam haberet, non poſſet de eo, præſertim quamdiu degebat in terris, dici, quod viderit Deum Patrem: cum is, teſte Apoſtolo, 1. *Tim* 6. *verſ.* 16. ſit ille, *quem nemo hominum vidit, nec videre poſſit.* At de Chriſto, adhuc in terris degente, dicitur, *Ioan.* 6. *verſ.* 46. quod *viderit Deum Patrem.* Ergo, Chriſtus Dominus, non tantum naturam humanam habet; ſed etiam Divinam.

Reſponſio.

Negamus conſequentiam Majoris. Nam verba Apoſtoli, 1. *Tim.* VI. 16. de eo loquuntur, quod naturæ fit fierive poteſt viribus, non quod divina fiat fierive poſſit omnipotentia & voluntate. Idem ibidem dixit, *Deum habitare lucem inacceſſam*, id eſt ad quam nemo hominum acceſſit, accedereve poteſt, nimirum ſi naturæ vires ſpectes; ſed Deo volente acceſſit Chriſtus, acceſſit & Paulus, II. *Cor.*

xii. 2, 4. Sic eodem volente, vidit ipſum Chriſtus, quippe filius unigenitus, ex Patris ore doctrinam ſuam accipiens; qui ſi divinâ Patris ſui potentiâ, in illo ſacro monte, momento tanta luce radiare potuit, ut Solis ſplendorem vinceret, cur non potuerat eadem potentiâ, in cælum ſubvehi, & paterni vultus aſpectu beari? Idem ille Deus, qui mortuos in vitam revocare, & mortales immortalitate donare poteſt, idem, inquam, etiam mortalibus videndi ſui copiam ad tempus poteſt facere, ſi velit. Sanè, qui credunt, humanam naturam, quamvis adhuc mortalem, divinæ naturæ perſonaliter potuiſſe uniri, cur abſurdum putent, divinam naturam, ab humana mortali, potuiſſe videri, cum hoc longè minus ſit, quam illud? Stephanus, Chriſtum videre, jam immortalem factum, & eadem luce, qua ſummus ipſe Deus radiantem; quin & Paulus, non videre tantum Chriſtum glorioſum, ſed etiam in ipſum Paradiſum & Cælum tertium rapi potuit: Et Chriſtus in cælum ſubvehi, & Patrem ſuum videre non potuit?

Non ſatis eſt avertiſſe telum, etiam retorquendum eſt. Qui vidit Patrem, is non eſt

ſummu

ſummus ille Deus. Hic enim Patrem vel potius ſe ipſum, nec videre unquam cæpit, nec videre unquam deſinet. Filius vidit Patrem, id eſt tempus erat, quo necdum olim viderat Patrem, & tempus erat, quo videre deſierat. Ergo, &c. In hoc Argumento naturarum divinæ & humanæ diſtinctio, nullum habet locum. Nam ſecundum divinam, videre Patrem non deſierat; ſecundum humanam, ſi D. Opponenti credimus, nondum viderat.

Argumentum XII.

Si Chriſtus Dominus, ſolam humanam naturam haberet, non poſſet dici, *in ſimilitudinem hominum factus*, *& habitu inventus ut homo*. Nam qui ſolam naturam humanam habet, non ſolum eſt habitu homo, ſed meriſſimus homo. At Chriſtus Dominus, in Forma Dei ὑπάρχων, dicitur Forma ſervi accepta in ſimilitudinem hominum factus: utpotè homo ſine peccato, & ſine perſonalitate humana, quam eminenter, Divini Verbi Perſonalitas ſuppleverit; feceritque illud ineffabile compoſitum, Verbum carnem; Deum Hominem ſedentem in Throno, & Agnum. Ergo Chri-

ſtus non habet ſolam naturam humanam, ſed etiam Divinam.

Reſponſio.

Subindè peccat D. Opponens ignoratione Elenchi. Credimus enim Chriſto homini inſitam fuiſſe naturam divinam, Spiritum nimirum Sanctum, divinam illam virtutem, quæ effecit, ut Deus verè eſſet, non, ut D. Opponens loquitur, homo meriſſimus, utque Apoſtolus jure dicere potuerit, ſimilem eum ſeſe hominibus reddidiſſe, & figura ſeu habitu externo repertum ut hominem fuiſſe, cùm caperetur ab hoſtibus, raptaretur, verberibus & plagis afficeretur, ludibriis exagitaretur, in crucem ageretur; quos divina ſua virtute omnes momento potuiſſet perdere: qua de re egimus in Reſp. ad Argum. VII.

Sed quia D. Opponens, Chriſtum non hominem tantum diviniſſimum, ſed ipſum ſummum Deum fuiſſe, vult concludere, Negamus hoc ſenſu Majorem, illiuſque conſequentiam. Quam ridiculum eſt, cum indè perobare conatur, quod Chriſtus fuerit homo ſine peccato, & ſine perſonalitate humana? Atqui oſtendere debuit quo pacto Chriſtus ſimilis hominum

hominum factus fuerit, non quo pacto factus fuerit maximè dissimilis. Hoc plane est Apostoli verba, ex quibus Argumentum istud ducere voluit, invertere. Quid porro audio? Christus, non verè, nec reipsa fuit homo, sed hominum tantùm similis, & habitu tantùm ut homo? Atqui sine peccato esse, ad naturam propriè loquendo non pertinet, & ut Christus homo, sine peccato esset, nihil opus fuit, ut esset summus ille Deus. Divina illa Spiritus S. virtus, Christum ab omni peccato immunem præstare potuit, & re ipsa præstitit. Eundem verò, hominem sine personalitate humana fuisse, illud ipsum est de quo quæritur: & implicat contradictionem, hominem singularem esse, & personalitate sua carere; ut merito dixerit, ineffabile esse compositum, ex homine singulari & summo Deo unam personam facere; quod quia ineffabile est, quid frustra verba terimus, & famur ea, quæ nemini datur effari? De Forma Dei, & forma servi, de Verbo caro facto, (de quo etiam agitur infra Arg. XXXI.) de Deo homine, de Sedente in throno, & Agno, Argum. VII. actum est, & ostensum nullum his in rebus sententiæ D. Opponentis esse præsidium.

Cichovius.

Confirmatur, Quia nullus purus homo, posset dicere; se potestatem habere ponendæ pro arbitrio animæ; & denuo resumendæ: quam tamen se habere potestatem, Christus in terris degens dicebat: *Ioan.*x. 17, 18. Ergo Christus Dominus non solum habet naturam humanam, sed etiam Divinam.

Responsio.

Miror, cur nova Argumenta confirmationes vocet. An quæ affert Argumenta, ipsemet fila esse credidit, quæ nisi plurium complicatione, singula, facile rumpuntur, & veræ araneæ sunt fila? Tantum enim abest ut vera sit istius Syllogismi Major, ut contrà, nullus alius quam homo mortalis, sive purus, sive divino ortus Spiritu, hoc de se possit dicere; Neque enim Deus immortalis potestatem habet animæ suæ ponendæ, proindè nec illius resumendæ: sed homo mortalis, eam à Deo potest accipere, & Christus accepit. Addit enim, *Hoc mandatum accepi à Patre meo, Ioan.* x. 18. Itaque non ex se ipso Christus hanc potestatem habuit, ne quis hinc colligeret Christum

ſtum ſimul & ſummum fuiſſe Deum & hominem; ſed ex Patris ſui mandato, ipſi ut animam poneret, ſub certo illius recipiendæ promiſſo mandantis. Ex tali mandato poteſtas & ponendæ & reſumendæ animæ mortalibus pendet: poteſtas enim hic, ut alibi ſæpè, pro jure accipitur. Idem jus eademque poteſtas recipiendarum animarum data eſt & omnibus in Chriſtum credentibus, & pro illius nomine animas ſuas ultrò ponentibus. *Matth.* XVI. 20. *Mar.* VIII. 35. *Luc.* XVII. 33. *Ioan.* I. *verſ.* 12.

Argumentum XIII.

Si Chriſtus ſolam naturam humanam haberet, non poſſet eſſe juſtus, comparatus Deo; neque apparere mundus: (quia non poteſt juſtificari homo comparatus Deo & apparere mundus: *Iob.* 25. *verſ.* 4.) neque poſſet exæquari Deo: (dicit enim. *Iob* 32. *verſ.* 21. Deum homini non exæquabo:) & eſſet univerſa vanitas: (quia univerſa vanitas eſt omnis homo vivens, *Pſal.* 38. *verſ.* 6.) & cogitationes ejus à cogitationibus Dei diſtarent ut cælum à terra: juxta ac cogitationes omnium hominum, *Iſai.* 55. *verſ.* 9. At

Chriſtus

Christus Dominus, etiam Deo comparatus, est justus & mundus: utpotè dictus Iehova justus noster, *Ierem.* 23. *vers.* 6. & est æqualis Deo Patri, *Phil.* 2. *vers.* 6. & non est vanitas: ut pote qui divinum illud verbum, *Ego sum*, toties de se dixerit: etsi probè nosset, soli illi qui est per naturam Deus, dictum tale convenire: eiquè soli, *Iob.* 14. *vers.* 4. dictum esse; quia Tu solus es: & cogitationes ejus non distant à cogitationibus Dei: ut potè qui toties dixerit se nosse & scire Deum: *Ioan.* 7. *vers.* 29. & 17. *vers.* 25. qui denique dicere potuit: Sicut novit me Pater; & agnosco ego Patrem, *Ioan.* 10. *vers.* 15. *Luc.* 10. *vers.* 21. Ergo Chistus Dominus non solum naturam humanam habet, sed etiam Divinam: ratione cujus, etiam Deo comparatus, est Iehova justus: est æqualis Deo: est pelagus essentiæ, cui proindè conveniat dicere, *Ego sum*: est ejusdem scientiæ & cogitationis, cum Deo Patre.

Responsio.

Hoc Argumento, de industria Christus, quatenus homo fuit, oppugnatur à D. Opponente. Sed dicite quidquid potestis in Filii hominis

hominis vilipendium, ſcitote tamen, hunc eſſe Dominum omnium, & Iudicem vivorum ac mortuorum à Deo conſtitutum: quod cum animo reputamus, exclamamus admirabundi cum Pſalte, *Quid eſt homo quod memor ſis ejus, aut Filius hominis quod viſites eum?* *Pſal*.VIII. 5. & CXLIV. 3. illum quem ad breve tempus, propter naturæ mortalis conditionem, Angelis minorem eſſe volueras, videmus Ieſum, gloria & honore cæleſti tuâ gratiâ coronatum, omniaque, ne Angelis quidem exceptis, pedibus ejus ſubjecta, *Hebr*.II. 9. & 1. *Cor*. XV. 27. Nam ſi dicat Chriſtum hominem ex aliorum hominum ſortè excipi, propterea quod Deo ſummo perſonaliter fuerit unitus; dicam & ego, eundem hominem Chriſtum excipi, quod ex Spiritu divino fuerit ortus, quodque Deus per gratiam ſuam præ ceteris omnibus illi fuerit conjunctiſſimus. Itaque primum major Syllogiſmi iſtius negatur. deindè in probatione Minoris, abutitur quibuſdam Scripturæ dictis. *Ier*. XXIII. 6. non habetur *Iehova juſtus noſter*; ſed verti debet ex Hebræo, *Iehova juſtitia noſtra*, quemadnodum vertit Arias Montanus, & alii. Et hæc verba non referuntur ad Chriſtum,

ſed

ſed ad Iſraelem, proximè in illo verſu nominatum: cui hoc nomen tanquam ſymbolum imponitur, ad ſignificandum, Iehovam illo tempore quo Chriſtus venturus eſſet, Iſraelis juſtitiam futurum, ſeu Iſraelem juſtificaturum. Eodem loquendi genere quo mons in quo Abraham juſſus fuit offerre filium, appellatur *Iehova videbit*, *Gen.* XXII. 14. & altare à Moſe extructum dicitur, *Iehova exaltatio mea*, *Exod.* XVII. 15. Et à Gedeone, *Iehova pax*, *Iud.* VI. 24. Denique Ieruſalem apud Ezech. cap. & verſu ult. vocatur *Iehova illic*. *Phil.* II. 6. Non dicitur Chriſtus eſſe æqualis Deo Patri, ſed Deo in genere, ſeu inſtar Dei cujuſdam: hæc enim eſt vis phraſeos εἶναι ἶσα Θεῷ. quemadmodum apud Iobum in verſione LXX interpretum, ἶσα σποδῷ, cap. XIII. 12. ſignificat inſtar pulveris. ἶσα λίθῳ cap. XXVIII. 2. inſtar lapidis. & ſimiliter in multis aliis iſtius libri locis. Et, ſi diceretur, id hactenus intelligi deberet, quatenus rei ipſius natura permittit. Verba, *Ego ſum*, ſic abſolutè, non addito quid eſſet, Deus haud uſquam de ſe uſurpavit; ſed, *Ero qui ero*, vel ſimpliciter *Ero*, vel quod ſolum in uſum iit in tertia perſona, *Erit*; non durationem ſui perpetuam, ſed, ut viri

docti

docti monuerunt, ſuam in ſervandis promiſ-ſis immutabilem & perennem conſtantiam ſignificans; nec Chriſtus aliter his vocibus eſt uſus, quam per apoſiopeſin illius, qui ex-pectabatur ab omnibus, & quem deſignari facilè erat intelligere, invidioſum nomi-nare.

Argumentum XIV.

Si Chriſtus Dominus non haberet aliam naturam quam humanam, non potuiſſet de-gens in terris dicere, *Nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater.* (Nulli enim ignotum eſſe poteſt, illum Filium, qui ſolam naturam humanam haberet, eſſe natura merum hominem: & de facto omnes etiam hoſtes Chriſti, ſciebant, & dicebant; Chriſtum eſſe verum & merum hominem. Genitum autem eſſe ex puriſſima Virgine, ſciebat Gabriël Angelus, & alii An-geli: eſſe vero genitum Regem Chriſtum, & Salvatorem noſtrum, ſciebant Angeli, Pa-ſtores, Magi, Zacharias, Elizabeth, Simeon & Anna, &c. Atqui Chriſtus Dominus, degens in terris, dicebat, *Nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater: Luc.* 10.22. & *Mat.* 11. *verſ.* 27. Ergo Chriſtus Dominus habuit aliam naturam præter huma-

nam,

nam, secundum quam soli Deo Patri cognitus erat.

Responsio.

Negatur Major. Neque enim Filius de se loquitur *Luc.*x.22. *Matt.*xi.27. ratione suæ naturæ, aut generationis suæ ex Virgine Matre miraculosæ, aut suæ dignitatis in genere; sed ratione mysteriorum quæ in sua doctrina latebant adhuc abdita; in primis verò tantæ majestatis respectu, quam Filius hominis ex Patris adepturus erat gratia, ut scilicet rerum omnium efficeretur Dominus, sicut ibidem dicit, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Hæc enim res adeo fuit ab omnium cogitatione sensibusque remota, ut ne nunc quidem capi possit, nisi ab iis quibus Filius est propitius. Nempè magis pronum erat hominibus, Christum, in ipsum summum Deum evehere, & summum Deum hominem esse factum credere, quam Filii hominis in humana persona subsistentis, divinam quam ex Patris gratia accepit, Majestatem agnoscere. Sanè Angeli, creatorem suum carne indutum, ignorare quî poterant, si eam induerat, eaque indutus versabatur in terris? An enim viderent hominem

Christum,

Chriſtum, & neſcirent eundem eſſe creatorem ſuum? & cum Chriſtus addit, *neque quis ſit Pater, quiſquam novit, niſi Filius*; an & Patris in carnationem ſignificare voluit, & non potius, arcanam illius voluntatem? Undè apud Matthæum eandem rem proferens, ſimpliciter Patris & Filii cognitionem dixit, ad Euangelica reſpiciens myſteria.

Argumentum XV.

Si Chriſtus, præter humanam naturam, non haberet Divinam, non potuiſſet de eo dici, quod *propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives*: 11. *Cor*. 8. *verſ*. 9. (nam quoad naturam humanam, Chriſtus Dominus nunquam fuit dives, ſed ſemper adeò pauper; ut dicere ſoleret, vulpes & aviculas ſe ditiores eſſe. nunquam item, Chriſtus donis ſe cæleſtibus & ſpiritualibus exuit: cum dona Dei, ſine peccato amitti non poſſint, quod in Chriſto nullum unquam fuit: & egenum fieri bonorum cæleſtium; ſit carere gratia Dei, qua nunquam caruit, nec carere potuit Chriſtus.) Sed dictum id eſt de Chriſto, loco citato. Ergo Chriſtus Dominus, præter naturam humanam, habuit Divinam: nihilque aliud fuit,

eum cum dives esset, propter nos egenum fieri, nisi quod alibi dicitur; eum in forma Dei existentem, formam servi accipere.

Responsio.

Negatur Major. Optimè enim ipse D. Opponens hæc Pauli verba, II. *Cor.* VIII. 9. explicat, divitem fuisse Christum, cum in forma Dei versaretur, cum omnes divinâ suâ ditaret munificentiâ, & ab omnibus tanquam Deus adoraretur; pauperem factum, cum formam servi suscepit, cum se exinanivit, id est tantâ gloriâ inanem vacuumque fecit, cùm pro divinà adoratione, se capi, raptari, colaphis & flagris cædi, conspui, illudi, infelici arbori suspendi passus est. hoc autem fecit, ut nos tanta sua paupertate, cælestibus bonis, id est peccatorum remissione, & Regni Dei hæreditate ditaret Certè hæc Apostoli verba, de incarnatione summi Dei non possunt intelligi. Nam si D. Opponens, Christum ratione donorum cælestium, negat factum unquam pauperem, quod se iis nunquam exuit; itemque ratione gratiæ Dei, quod ea nunquam caruit, quo pacto ratione incarnationis factus sit pauper, cum divinam naturam nunquam deposuerit?

depoſuerit? quin imo aliam inſuper aſſumpſerit, ut poſt incarnationem factus ſit etiam opulentior?

Argumenta, ut D. Opponens loquitur, deſumpta ex Titulis convenientibus, Soli, Vni, & Summo Deo.

Argumentum XVI.

Cui Scriptura S. tribuit Titulem *Iehovæ exercituum*, hic eſt Deus ille unus. *Deut. 6. verſ.4. Mar. 12. verſ.30.* & alibi ſæpe Chriſto hunc titulum S. Scriptura tribuit, *Zach.2. verſ.8.* & alibi, ut patebit locis infra citandis. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus. Minor patet: quia, quæ Perſona loquitur *verſ.* 8. illa verba, *Poſt gloriam miſit me ad gentes, &c.* expreſſe vocatnr Dominus exercituum. Sed Chriſtus eſt illa perſona quæ loquitur illa verba. (Quis enim alius Dominus exercituum hæc verba dixerit, ſi non ille, qui, *Lucæ 4. verſ.17.* in Synagoga Nazarethica, ajebat ſe miſſum ad euangeliſandum pauperibus, juxta Prophetam *Iſa 61. verſ.1.* & qui toties in Euangelio miſſum ſe appellat?) Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Responsio.

I. Major hujus Syllogismi, limitatione indiget, nempe, cui Scriptura propriè titulum nominis tetragrammati (quod vitiosè legitur & pronunciatur, *Iehova*,) tribuit. Alioquin enim etiam Angelis Dei personam sustinentibus, tribuitur: cujus rei exemplum habes apud hunc ipsum *Zach.* III. 12. ubi is qui *vers.* 1. Angelus Dei nominatur, *vers.* 2. Deus, nomine tetragrammato, appellatur, & tamen eodem commate se ipsum à Deo distinguit. Idem iterum Angelus nominatur, *vers.* 5, 6. & à summo Deo distinguitur, *vers.* 7, 9, 10. quin & ab ipso Christo, *vers.* 8.

II. Minor negatur, cujus probatio nititur loco Zachariæ non intellecto; proindè illius sensum monstrasse, est Argumentum refutasse. Persona quæ loquitur verba, *vers.* 6. *Quia sic dicit Dominus Exercituum*, & quæ sequuntur, Angelus fuit, ut & res ipsa docet; An enim Dominus Exercituum, Domini Exercituum verba referret? & ex *vers.* 3, 4. apertum est. Et, si hæc verba Dominus Exercituum diceret, quis esset iste qui Dominum Exercituum mississe dicitur? quid autem Angelus

Angelus iſte refert Dominum exercituum dixiſſe? Hoc nimirum, *Poſt gloriam miſit me ad Gentes quæ ſpoliaverunt vos*, id eſt hoc dicit, quod me mittere decrevit ad Gentes, &c. Ellipſis particulæ *quòd*, Hebræis uſitata, D. Opponentem impedivit, quo minus loci iſtius ſententiam perciperet. Miſit item, pro mittere decrevit, vel ut alii Interpretes habent, mittet, Hebræorum locutio eſt: Poſt gloriam, id eſt, gloriæ conſequendæ cauſa. *verſ.* 5. Pergit Angelus, *Nam qui vos tangit, tangit pupillam oculi ejus*, nempe Domini Exercituum. Non ergo Dominus Exercituum hæc verba loquebatur, ſed illius Angelus; additque, *Nam ecce ego levo*, id eſt, levabo, *manum meam contra ipſos, & erunt prædæ ſervis ſuis.* An verò hæc verba Chriſti ſunt, cujus legatio erat non ad judicandas, ſed ad ſervandas omnes gentes? *Ioan.* III. 17. Hæc cum dixiſſet, ſubjicit, *Et cognoſcetis quod Dominus exercituum miſit me*, *verſ.* 9. idemque repetit *verſ.* 11. An ergo Dominus Exercituum miſit Dominum Exercituum? An duo ſunt Domini Exercituum? aut ſi unus, an unus idemque miſit ſe ipſum? legantur & ſequentia, & apparebit hunc qui iſta loquitur, perpetuò ſeſe

distinguere à Domino Exercituum. In re aperta morandum non est diutius.

Argumentum. XVII.

Quæ Persona promisit se venturam, & habitaturam in medio nostri, & gentes applicandas ad Iehovam, quæ ipsi promissori sint in populum, hæc est Deus ille unus: (quia eodem *Zach.* loco. *vers.* 10. vocatur Iehova ille ipse, qui supra est vocatus Iehova exercituum:) Christus est illa persona, quæ promisit se venturam; & in medio nostri habitaturam: quæ in propria venit. *Ioan.* 1. *vers.* 11. & quæ habitavit in nobis: ibidem *vers.* 14. Hæc autem est Verbum, quod erat in principio Deus.

Responsio.

Negatur Minor; neque probatur per id, quod Christus in propria venerit, Aliter enim venit is qui se ad populum suum venturum, per Prophetas promisit: aliter Christus. ille, Christum nomine suo mittendo, eumque suo Spiritu ac virtute instruendo: Christus autem, tanquam ab ipso missus, & in Regem populi divini unctus. Ita medio termino variante,

ante, nihil concluditur. Deus igitur eſt, qui ſe venturum, & in medio noſtri habitaturum, & gentes ſibi in populum applicandas promiſit, *Zach.* 11. 10. Chriſtus autem eſt, qui promiſſus à Deo fuit, & per quem Deus omnia iſta quæ promiſit, ad effectum perducturus erat.

Argumentum XVIII.

Quem David *Pſal.* 109. *verſ.* 1. & 3. confeſſus eſt eſſe ſuum Dominum; genitum ex utero Jehovæ, ante Luciferum; ſedentem à dextris Iehovæ: hic eſt Deus ille unus. (Quis enim alius ſedere poſſit à dextris Iehovæ; niſi qui unam cum eo naturam habet & Divinitatem?) Chriſtum (ipſomet Chriſto teſte, *Matt.* 22. & *Lucæ* 20.) confeſſus eſt David eſſe ſuum Dominum: illum ipſum, qui inferius ab eodem Davide vocatur genitus ex utero, &c. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Negatur Major, reſpectu primi & tertii membri. David enim, *Pſal.* cx. 1. Chriſtum in ſpiritu prophetico Dominum ſuum appel-

lat, quod is in ſe quoque, quamvis Patrem ſuum ſecundum carnem, quamvis non privatum hominem, ſed Regem eumque Iſraelis, quamvis denique jam è vivis tum exemptum, poteſtatem habiturus eſſet à Deo ſupremam atque cœleſtem; eundemque Chriſtum ab ipſo ſummo Deo apertè toto pſalmo diſtinguit, *verſ.*2,4,5. Hunc, *verſ.* 1. nomine tetragrammato abſolutè, Chriſtum autem communi voce Dominum ſuum appellat: & ſummus quidem Deus eſt, qui Chriſto dicit, *Sede à dextris meis*, &c. Chriſtus autem eſt, cui id dicitur, quique proindè, ut à dextris Dei ſedeat, ex ipſius gratia eſt conſecutus. quod abſurdè prorſus in argumentum ſuæ ſententiæ trahit D. Opponens. Quæro enim, quis à dexteris ſummi Dei ſedere juſſus eſt? Filius, inquis. Atqui Filius, ipſe ſummus Deus eſt; An igitur ipſe ſibi à dextris ſedebit? à dextris Patris, inquies. Filius igitur ſummus Deus non eſt, ſed ſolus Pater; alioquin enim, à dextris ſui ipſius ſedebit. Cujus verò naturæ reſpectu, à dextris Patris ſedere juſſus eſt? Non divinæ; nam hæc eadem cum Patris natura eſt. Non humanæ; Nam hæc divinæ naturæ non aſſidet, ſed in unam cum illa per-
ſonam

ſonam coaluit. Non denique perſonæ reſpectu; Nam hæc cum divina natura re ipſa idem eſt, nec citra eam, non tantum ſedere, ſed neque ſtare, id eſt, eſſe poteſt: denique in tempore hoc dictum eſt Chriſto, poſt quam revocatus ex morte, evectus eſt in cælos, *Mar.* XVI. 19. *Eph.* I. 20. & I. *Petr.* III. 22. *Hebr.* I. 3. Cum igitur, neque ipſe Deus à dextris ſibi ipſi ſedere juberi potuerit, neque ulla ipſius perſona, ſive divinæ, ſive humanæ naturæ reſpectu, à dextris alterius perſonæ: nulli etiam Angelorum dictum hoc ſit, *Hebr.* I. 13. relinquitur, ut ſoli homini Chrſto, id dictum fuerit; eidem nimirum, cui mox dicitur, *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. Omnis autem ſacerdos, non ex Angelis, multo minus ex Summi Dei perſonis, ſed ex hominibus aſſumitur, H*ebr.* V. I. Hinc Argumentum: Qui juſſus eſt à dextris Summi Dei ſedere, is ſummus Deus non eſt, ut ex antedictis patet. Chriſtus à dextris ſummi Dei ſedere juſſus eſt Ergo, &c.

Reſpectu ſecundi membri, de generatione ex utero Dei Summi ante Luciferum, Negatur Minor. Neque enim hæc verba in textu leguntur Originali, ſed longè diverſa, nempe

hæc; *Ab utero ab aurora tibi* (intellige, ô Rex Messia,) *ros nativitis tuæ, vers.* 3. Nativitatem Christi, vocat populum, ipsi & ex ipso nascendum: substantivum pro Adjectivo, ut captivitas, pro captivis, & his similia Hebræorum idiomatè. hujus populi, quem proximè ante, populum devotionum, & in decoribus Sanctitatis fulgentem dixit, tantam fore multitudinem ait, quanta est roris ex utero auroræ cadentis. ab utero ab aurora, ἓν διὰ δυοῖν, pro, ab utero auroræ. Ros metaphoricè, pro numero vel multudine rori respondente. *Tibi*, scilicet, erit, *in die fortitudinis tuæ, vers.* 3. id est cum exercitum tuum educes, & ingentes de hostibus tuis reportabis victorias. Sanè tempus est, ut tandem oculos ad intelligentiam Scripturarum aperiamus, & qui monitus est, chordâ non semper oberret eâdem.

Argumentum XIX.

Quam personam, esse Deum, cujus Thronus duraturus est in sæculum sæculi, confessus est David, *Psal.* 44. *vers.* 7. hic est Deus ille unus; (Neque enim David, agnovit ullum alium Deum, vel Dominum, cujus Thronus in sæcula sæculorum duraturus esset, præter illum

illum unum Deum;) Sed Christum esse talem Deum, teste Apostolo, ad *Hebr.* 1. *vers* 8. agnovit David. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Negatur Major. Agnovit enim David in Spiritu Messiam, illiusque thronum ad mundi finem duraturum prædixit. Miror, D. Opponent Argumenta petere ex locis sibi contrariis. Nam hoc loco, apertè celebratur regnum hominis à Deo ungendi, qui ob justitiam illud consecuturus esset à Deo; & qui, participes suos, id est, fratres esset habiturus; qui denique ita appellatur Deus, ut summus ille Deus, Deus ipsius esse dicatur.

Unde Argumentum. Qui ex gratia Dei consecutus est Thronum in seculum seculi duraturum, hic non est summus ille Deus: quo enim sine summo Deo daretur thronus, qui ipse per se habet omnia? Christus ex gratia Dei consecutus est thronum, &c. *Psal.* XLIV. *vers.* 7. Ergo, &c. Item: Qui talis est Deus, ut suæ divinitatis respectu Deum habeat, hic non est summus Deus: Christus talis est Deus ut divinitatis suæ respectu

ſpectu Deum habeat. Pſal. XLIV. *Vnxit te ô Deus, Deus tuus*. Ioan. XX. 17. *Aſcendo ad Deum meum, ad Deum veſtrum*. Eph. 1. 17. *Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ*, Apoc. III. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam, in templo Dei mei, & ſcribam ſuper eum nomen Dei, & nomen civitatis Dei mei, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum novum* 1. Cor. III. 23. *vos eſtis Chriſti, Chriſtus Dei*. XI. 3. *Caput mulieris vir, Caput omnis viri, Chriſtus, Caput Chriſti Deus*. Ioa. XIV. 28. *Pater major me eſt*. Nam hæc omnia, & à Chriſto, & de Chriſto, divinitatis illius reſpectu dici manifeſtum eſt, quod & Chriſtus, iſtis in locis, divinitatis ſuæ reſpectu conſideretur, & ſi ſolius humanitatis reſpectu, Deus illius Deus eſſe, & ille Dei eſſe, & Deus illius Caput, aut illo major eſſe diceretur, nulla in eo peculiaris eſſet Dei gloria.

Argumentum XX.

Cui Perſonæ Sacra Scriptura tribuit, quod ſit Sapientia Dei unius; quæ ſit concepta, & parturita ante conditum mundum. *Prov*. 8. *verſ*. 1. & 24. & 26. quæ cum Iehova erat cuncta componens; ibidem *verſ*. 30. quæ ſit candor lucis æternæ; & imago bonitatis illius;

illius; quæ in se permanens, omnia innovat. *Sap.7.vers.26.* hæc est Deus ille unus. Nec enim ulli creaturæ possunt hæc verba convenire: esse conceptam ante orbem conditum: cum Iehova cuncta componeutem, &c. Christus est illa persona: ut potè, quæ dicitur virtus & sapientia Dei, 1,*Cor.*1.*vers.*25. claritatem habens ante mundi constitutionem, *Ioan.*17.*vers.*5. per quam factus est mundus, *Ioan.*1.*vers.*10. quæ omnia creavit, *Apoc.*4.*vers.*1. (quæ verba esse de Christo etiam D. Slichting fatetur:) quæ est candor, seu splendor gloriæ, & expressio substantiæ Dei, *Hebr.*1.*vers.*3. perquam omnia sunt innovata, *Ephes.*1.*vers.*10. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Poterat hoc Argumentum breviter & magis Syllogisticè proponi. Major & Minor falsa est. Major etiam oppositum in ipso continet apposito, dum personæ veræ tribui ait, quod sit persona locutionis figurâ. Nam de sapientia loquitur Salomon, in Proverbiis, & in libro Sapientiæ, (hic ipse libri titulus monere poterat, Sapientiæ nomine nec Chri-

stum,

ſtum, imo nec perſonam ullam intelligi;) per proſopopeiam, ſexus fœminini, Rerum divinarum & humanarum ſcientiam intelligens, *Sap.* VII. 17. & ſequent. divinæ Sapientiæ ectypum, quæ hominibus à Deo communicatur, *Prov.* VIII. 31. in primis autem divinæ voluntatis ſeu recti & honeſti efficacem ſcientiam. Unde Syracides, Salomonis imitator, hanc Sapientiam librum Fæderis Altiſſimi, & legem à Moſe traditam eſſe dixit, quod in ea Sapientia iſta deſcripta ſit. *Cap.* XXIV. 25. Idem dixit & Baruch, *Cap.* III. 1. Nec aliter Hebræi Salomonis verba quàm de lege ante mundum conditum in Dei monte concepta formataque intelligunt. Eſt Sapientia Salomoni id ipſum quod virtus Philoſophis, multis itidem divinis cælebrata præconiis, quin & eodem Sapientiæ nomine appellata, & qui virtute ſunt præditi, ſoli ſapientes vocati. Porrò hinc tanto magis falſitas apparet Majoris. An enim Perſona figurata locutione inducta, Unus ille Deus erit? Undè etiam perpetuò, à Deo, tanquam illius Autore datoreque diſtinguitur. Et quod pro Argumento D. Opponens arripit, ipſi contrarium eſt. quis enim dubitet creaturam eſſe, quod conceptum,

ceptum, quod parturitum, quod genitum dicitur? factum enim an genitum dicas, nihil refert, inquit alicubi Tertullianus. Omne enim quod generatur, fit. Ideo Siracydes, creatam dicit, & Deum illius creatorem appellat. *Cap.* XXIV. 8, 10. quod Sapientia ista cum Deo cuncta composuerit, non dicitur; sed tantum quod Deo cuncta componenti adfuerit, tanquam divinæ illius Sapientiæ alumna, ludens coram ipso jugitèr. *Prov.* VIII. 27, 30. quæ ipsa verba figuratam esse locutionem, cuivis recto judicio utenti, manifestum faciunt. Nullum locum magis olim Ariani urserunt, & profectò, si in verbis Salomonis prosopopœia non est, Si Sapientia ista pro Vera persona agnoscenda est, & in mundi creatione partem cum Deo habuit, vicerunt.

Quod attinet ad Minorem, (quam itidem veram esse negavimus, si quidem Christus vera est, non per loquendi figuram inducta persona.)

1. Christus dicitur Dei virtus, & Dei Sapientia, 1. *Cor.* 1. 25. sed longè diverso sensu, quàm à Salomone usurpatur vox Sapientiæ. Paulus enim de Christo loquitur, quatenus

Fest. nus crucifixus [*verſ.*23,24. ideo quod per crucem illius effectum ſit, ut ingens Dei virtus & ſapientia apparuerit: Virtus quidem, quod Chriſtum, perſonâ non alium quàm hominem, ex morte revocaverit ad vitam, eamque cæleſtem ac immortalem, poſt crucis ignominiam ſedere fecerit ad dextram ſuam. *Eph.* 1. 19,20. & ſequent. Sapientia verò, quod Chriſtum non aliâ, quàm mortis, quàm tantæ ignominiæ viâ, ad vitam & gloriam perduxerit ſempiternam: quo diviniſſimo ſuo conſilio, ſicut animos piorum ſummoperè recreavit, & in ſpem haud dubiam æternæ ſalutis erexit, atque adverſus omnes pietatis cauſa ingruentes calamitates armavit, munivitque, *Hebr.* 11. 10. & ſeqq. ſic ſapientes hujus ſeculi, homines faſtu turgidos, mirum in modum confudit, 1.*Cor.* 1. 19, 20, 21. Itaque Salomon Sapientiæ vocem propriè accepit; Paulus, de Chriſto crucifixo, impropriè, pro Sapientiæ documento. Salomon, ſapientiam illam, non dicit eſſe Dei ipſius Sapientiam propriam; ſed à Deo proficiſci: Paulus autem, propriam Dei Sapientiam Chriſtum appellat, eo quo diximus ſenſu, id eſt propriæ Dei Sapientiæ documentum.

2. Chriſtum

2. Christus claritatem habuit ante mundum conditum; sed divina tantùm constitutione, non effectu ipso: nec claritas ista Christi, illud est, quod de Sapientia ante mundi creationem scribit Salomon.

3. Per Christum mundus est factus, creationis novæ respectu: quanquam Sapientiæ illi non tribuit creationem mundi Salomon, ut diximus: Christus autem, omnia creavit nova creatione, non tanquam prima causa, sed tanquam media, quæ omnem creandi virtutem & potestatem à prima accepit, nec aliter ad Christum, verba *Apoc.*IV. 11. quam subordinatè applicari possunt, & à D. Slichting si usquam applicata sunt, applicata fuerunt.

4. Christus est splendor (Nam candoris vocem de suo apposuit, ut suam in applicatione loci, *Sapient.*VII. 26. conjecturam firmaret,) gloriæ, & expressio substantiæ Dei; sed nec Sapientia illa, dicitur esse ipsius substantiæ Dei expressio, nec eo sensu candor lucis æternæ, quo Christus splendor gloriæ. Christus enim tanquam persona, in qua olim cum versaretur in terris Dei Majestas, per divinissima illa opera, resplenduit, ipseque Deus repræ-

ſentatus mortalibus fuit: Sapientia verò tanquam qualitas & imago, ex æterna luce & bonitate reſultans.

5. Per Chriſtum, omnia ſunt innovata, tanquam perſonam; per Sapientiam omnia innovantur, tanquam mentis perfectionem.

Argumentum XXI.

Cui convenit hæc verba dicere, Ego primus, & Ego noviſſimus, hic eſt unus ille Deus, *Iſa.* 41. *verſ.* 4. clarius 44. *verſ.* 6. *&* 48. *verſ.* 12. Chriſto convenit hæc verba dicere. (nec enim niſi convenientiſſimè dicta ſunt à Chriſto, *Apoc.* 1. *verſ.* 18. *&* 22. *verſ.* 13.) Ergo Chriſtus eſt unus ille Deus.

Reſponſio.

Major limitanda eſt, nempè eodem quo Deus illa de ſe uſurpavit ſenſu, hac limitatione addita, falſa eſt Minor. Deus enim his verbis, ut Deos gentium, eorumquè cultores vanitatis coargueret, ſe ſolum Deum eſſe docet; quippè quod ipſe abſolutè ſit primus omnium, & abſolutè ultimus; ut proindè, qui ab ipſo divinitatem non habet, nullam habeat. Chriſtus verò hæc verba, ad ſuum accom-

accommodans institutum, ut fidem suorum constantiamque firmaret, se primum esse dixit, qui fidem Christianam inhoaverit, qui eam, Dei nomine annunciaverit, vita, moribus, expresserit, qui pro illius confessione, mortem atrocem oppetierit; primum itidem, qui ex morte evadens, præmium illius capessiverit, se eundem esse & ultimum, qui eidem, Dei nomine, finem sit impositurus, quippè claves mortis & inferni, omnemque judicandi & præmia ac pœnas æternas distribuendi potestatem à Patre adeptum, non verò alium aliquem post se aut præter se. Hoc ipsæ loci utriusque circumstantiæ docent, *Apoc.* I. 18. *&* XXII. 13. & Epistolæ ad Hebræos scriptor, egregie rem eandem expressit, cùm Christum fidei nostræ ducem & consummatorem appellat, *Cap.* XII. 2.

Argumentum XXII.

Ille Dominus exercituum, qui *Isa.* 8. *vers.* 14. prædicitur, Iudæis futurus in lapidem offensionis, & petram scandali, est Deus ille unus: (Dominus enim exercituum, non vocatur in S.Scriptura alius, nisi Deus ille unus.) Christus, est ille Dominus exercituum, &c.

ut teſtatur ipſemet Chriſtus: *Matt.* 21. *verſ.* 42. *Mar.* 12. *verſ.* 10. *Luc.* 20. *verſ.* 17. S. Petrus; 1. *Petr.* 2. *verſ.* 7. & *Actor.* 4. *verſ.* 11. S. Paulus, *Rom.* 9. *verſ.* 29. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Etiam hæc inutiliter ταυτολογεῖ D. Opponens. Nam Major eſt planè tautologica. Minorem negamus; Nec ea probatur locis adductis, quin potius refutatur: cum ex illis apertè conſtet, aliter Deum, aliter Chriſtum, in lapidem offenſionis, & petram ſcandali fuiſſe. Deus, tanquam à nemine alio poſitus, nec ulli hac in re ſubordinatus: Chriſtus verò, tanquam ab alio, nempe à Deo, poſitus, & tanquam is, in quo, ſeu per quem Deus futurus eſſet lapis offenſionis, & petra ſcandali, ſenſu myſtico. Nam literalis ſenſus citra Chriſtum intelligitur.

Argumentum XXIII.

Cui convenit verba illa dicere, *Iſa.* 43. *verſ.* 19. Ecce ego facio nova: & illa, ſervire me feciſti in pecatis tuis, *verſ.* 24. & illa, Ego ſum qui deleo iniquitates tuas, *verſ.* 25. &c.

&c. ille est Deus unus; (quia ibidem, *verſ.* 10. ait de ſe; Ante me non eſt formatus Deus: & poſt me non erit, &c.) Chriſto convenit hæc verba dicere, eaque dixit, *Apoc.* 21. *verſ.* 5. ita convenienter, ut ſequentia. Ego ſum. *&* 10. & Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ: quod ipſum obtulerat Samaritanæ, *Ioan.* 4. *verſ.* 10. *&* 14. & omnibus credentibus, *Ioan.* 7. *verſ.* 37. *&* 38. eſtque à Ieremia cognitus captus in peccatis noſtris; *Thren* 4. *verſ.* 20. & ab Iſaia vulneratus propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra; *Iſa.* 53. *verſ.* 5. & *Matt.* 8. *verſ.* 17. & 1. *Petr.* 2. *verſ.* 24. & à Ioanne dictus Agnus, tollens peccata mundi; *Ioan.* 1. *verſ.* 29. & qui *Apoc.* 1. *verſ.* 6. Lavit nos à peccatis noſtris. & qui habere ſe poteſtatem remittendi peccata facto miraculo probavit, cum ei diceretur, Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? *Mar.* 2. *verſ.* 17. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Non auſus eſt D. Opponens Majorem ſic formare, (quæ erat recta & ſine diverticulis ia;) Qui dixit verba illa, *Eſai.* XLIII. 19,

 24, 25.

24, 25. ille eſt Deus unus; vidit enim ſe negata Minore non poſſe progredi ulterius, quomodo enim probaret, Chriſtum illa ipſa dixiſſe verba, quæ apud Eſaiam extant, quamvis dixiſſet aliqua illorum ſimilia, niſi petere vellet id quod in principio, nempè Chriſtum antequam homo naſceretur, jam tum fuiſſe, imò ipſum ſummum fuiſſe Deum? Sed fruſtrà quæruntur ambages. Majore limitibus debitis circumſcripta, non evagabitur D. Opponens; nempè, Cui convenit verba illa apud Eſaiam, ſeu potius eorum ſimilia, (nam illa ipſa, ſeu numero eadem, redici à nemine poſſunt amplius,) dicere, tanquam abſolutè primæ cauſæ & Authori, & abſolutè ultimo fini, ille eſt unus Deus. hoc ſenſu, vera eſt Major, ſed Minor falſa. Chriſtus enim, omnium quæ ſub N. F. & à Deo fiunt, cauſa eſt intermedia, & ut ad Deum referuntur, intermedius finis. Nempè ut Apoſtolicum habet oraculum, *Nobis unus eſt Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Chriſtus Ieſus*, per quem omnia, & nos per illum, 1. *Cor.* VIII. 6. Sic igitur Chriſtus, omnia fecit nova; ſic eſt Alpha & Omega, principium & finis, poſt Deum ſcilicet; ſic, ſitienti dat de
fonte

fonte aquæ vivæ, (quanquam falſum eſt Chriſtum eſſe qui hæc verba de ſe dicit, *Apoc.* XXI. 5, 6. dicit enim illa iſtic ipſe Deus ſummus, ut ex *verſ.* 5. & 7. conſtat:) ſic delet iniquitates noſtras, nimirum tanquam victima expiatoria, ſimul & ſummus pro nobis Pontifex, ut univerſa teſtatur ad Hebræos Epiſtola. Servire me feciſti, Deus non dixit; (Nam Hebræa veritas habet, *oneri mihi fuiſti*, moleſtiam ſeu laborem mihi exhibuiſti, *in peccatis tuis*; niſi ſervitutem accipias Synecdochicè, pro labore & moleſtia ingenere;) at Chriſtus, qui formâ Dei depoſitâ, formam ſervi ſumpſit, pro peccatis noſtris, egregiè id dicere de ſe potuit. de Deo item non dicit Ieremias, quod ſit captus, ſed de Dei uncto, *Thren.* IV. 20. (quanquam iſtic non continetur oraculum de venturo illo Meſſia, ſed res geſta narratur de Rege Iudæorum tùm temporis à Chaldæis capto; nec enim habetur in Hebræo, in peccatis noſtris, ſed, in Speluncis, vel, latebris eorum.) De Chriſto ſimiliter, non de Deo, dicitur, quod ſit vulneratus propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra. Agnus item Dei, (Dei vocem de induſtria omiſiſſe videtur D. Opponens,

ut tantò facilius Agnum cum Deo confunderet:) non Deus ipſe, (morte nimirum ſua,) peccatum mundi tollere, noſque à peccatis in ſanguine ſuo laviſſe dicitur. ut planè contrarium ex iſtis de Chriſto dictis colligi debeat; nempe, quod non ſit unus ille Deus, cum talia de ipſo convenientiſſimè, & veriſſimè dicuntur, quæ de uno illo Deo dici neutiquam convenient. Denique poteſtatem peccata remittendi habuit, eamque rebus exercuit, non tanquam Deus ſummus, ſed tanquam hominis Filius, á Deo ſibi datam: *Matt.*IX. 6. *Marc.* II. 10. *Luc.*V.24. quod cùm viderent adſtantes turbæ, obſtupuerunt omnes, ad tantæ nec ante hac auditæ rei miraculum, dicentes, *Nunquam ſic vidimus*, Mar. II. 12. *vidimus paradoxa hodie*, Luc.V. 26. quæ paradoxa? quod Deus ſummus peccata remittat? Minimè verò; quæ igitur? quòd ea remittat homo. Ideò, quod modo blaſphemiam eſſe crediderunt, ipſo facto convicti, in ſummam Dei gloriam convertunt, *glorificantes Deum, qui tantam poteſtatem dederit hominibus;* dum ſcilicet eam viderent datam uni ex hominibus, *Matt.*IX.3. intelligebant facilè, non poſſe hominem, hanc à ſe ipſo habere poteſtatem: ſed neceſſe eſſe

ut eam habeat à Deo. Deo igitur tantæ rei gloriam tribuunt. Neque ſanè iſto nomine reprehenduntur à divinis Scriptoribus; quin potius hoc adſtantis populi factum, tanquam præclarum, & miraculi Chriſti fructus eximius, ab omnibus narratur. quî fit igitur ut vos blaſphemum putetis id, quod turbæ illæ Deo glorioſſimum, & humano generi maximè ſalutare putaverunt, à quo adeò vobis cum Scribis illis & Phariſæis abhorret animus, ut ſummum illum Deum, hominem eſſe factum credere malitis, quàm homini, qui Deus ipſe non ſit, hanc tantam poteſtatem, à Deo, ſummâ ſuâ cum gloriâ conceſſam eſſe agnoſcere? Neque enim turbis illis, cum Chriſtum hominem viderent, quidquam de ſummi Dei ἐναν θρωπήσει, id eſt inhominatione, in mentem opinor venerat; quæ ſi id cogitaſſent & agnoviſſent, non quòd poteſtatem tantam hominibus dediſſet, ſed quòd ipſe homo fieri ſuſtinuiſſet, Deum gloria & laudibus affeciſſent, ſi laudes dicendæ eſſent, quæ in Dei illius Altiſſimi contumeliam vergerent. Gentilium hæc fuit ſuperſtitio, homines, ſi quid ſupra cæteros mortales patraſſent, Deos immortales eſſe putare, quod & Paulo

olim, ac Barnabæ, Lyſtris evenerat: *Actor.* XIV. 11, 12, 13.

Argumentum XXIV.

Ille, cui Iehova dicit, Iſa. 45. verſ. 14. *Viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: & poſt te ambulabunt: & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te Deus eſt, & non eſt abſque te Deus, verè tu es Deus aſconditus: Deus Iſraël, Salvator*, &c. hic eſt Deus ille unus. Chriſtus eſt ille, cui Iehova ea verba dicit. Quis enim ſit alius? non Deus Pater; ſi enim alloqueretur ſe ipſum, diceret: ad me tranſibunt, mei erunt, me adorabunt, &c. Sed cum in ſecunda perſona alloquatur quendam, quem vocat Deum abſconditum, Deum Iſraël, Salvatorem; nonne evidens eſt eſſe hanc Perſonam Divinam, diſtinctam ab ea, quæ illum alloquitur? Quæ igitur hæc? niſi illa, quam ab Angelis adorari juſſam agnovit Apoſtolus: *Hebr.* 1. *verſ.* 6. quem Magi in cunis vagientem adorarunt, *Matt.* 2. *verſ.* 11. cui Angeli in deſerto ſervierunt, *Matth.* 4. *verſ.* 11, &c. quem cæcus natus, poſt viſum ſibi reſtitutum, procidens adoravit, *Ioan.* 9. *verſ.* 38. quem turbæ plurimæ ſequutæ, *Matt.* 6. 7, 8. paſſim.

passim. ad quem converse gentes, *Actor.* 15. *vers.* 17. In quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, *Coloss.* 2. *vers.* 3. qui est Deus absconditus, 1. *Tim.* 3. *vers.* 16. qui passim in novo fædere vocatur Salvator. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Argumentum hoc, vera istius loci Esaiæ interpretatione & explicatione dissolvitur. Verba hæc, *viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te adorabunt, teque deprecabuntur*, ad Ierusalem Civitatem suam dicit Deus, ut ex *vers.* 13. constat; quibus finitis, exprimitur sermo, quo deprecantes usuri erant, *tantum in te est Deus, & non est alius præter hunc Deus*: (Sic enim habent Hebræa:) hoc nimirum dicent; Tu Ierusalem, sola omnium Gentium, Deum verum colis, aliæ Gentes vana colunt simulachra: nec enim est ullus alius præter hunc quem tu colis Deus. Post hæc, Propheta (cujus sunt & sequentia, ad *vers.* usque 18. verba,) tàm admirabilium Dei consiliorum consideratione commotus, qui populum suum ita commeritum, & ruere faciat, & ex ruinis, rebusque planè desperatis,

iterum, ſumma ſua cum gloria, erigat; inſerit ad Deum apoſtrophen; *verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraelis, Servator.* q. d; verè ſunt abſcondita &imperſcrutabilia tua conſilia, Deus Iſraëlis Servator perpetuus. Ad ſimilem exclamationem & apoſtrophen, ſimilium Dei conſiliorum contemplatio, coëgit & Apoſtolum, ut filo orationis interrupto, erumperet, *O profunditatem divitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis Dei; quàm inperſcrutabilia judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus; quis cognovit enim mentem Domini?* (hoc eſt, quod Propheta dixit, verè tu es Deus abſconditus,) *aut quis conſiliarius ejus fuit?* & quæ ſequuntur: *Rom.* XI. 33, 34. Itaque hoc Argumentum D. Opponentis, multis laborat vitiis. Major primum, eſt & falſa, & fallaciam compoſitionis ac diviſionis continens, dùm uni Deo, totum, qui allegatur, Orationis contextum tribuit; qui, partim eſt Dei, partim eorum, qui Ieruſalem erant depreca-turi, partim Prophetæ; ut omittam, verba illa, non eſt abſque te Deus, vitioſam, ut monuimus continere interpretationem. Minor item multipliciter eſt falſa; Nam neque Chriſto, quidquam his verbis Deus dicit, neque

omnia

omnia ista quæ citantur Deus dicit, sed eorum quædam de Deo; quædam ad ipsum dicuntur Deum, ut ostendimus; neque dicere hæc verba, *Tantum in te est Deus*, & quæ sequuntur, ad Christum Deus potuit; dixisset enim ad se ipsum, si Christus idem ille Deus est: quorsum enim hic distinctio personarum, si utraque persona unus idemque Deus est? Nihilominus, cum una alteram alloquitur, unus idemque Deus alloquitur se ipsum. Denique ea quæ D. Opponens firmandæ Minori adducit, meros continent Syllogismos affirmatos in secunda figura, aut quatuor terminos. Locus 1.*Tim.* III. 16. nec quidquam habet de Deo abscondito, sed de pietatis mysterio, per Euangelium revelato, ut legit vulgata, (quam miror cur hîc deserat,) nec Dei nomine, ut nunc græci legunt codices, Christus, sed summus intelligitur Deus, qui se, suæque voluntatis arcana, non per Angelos, sed per homines mortales, nec ulla terrena potentia armatos, & quod hinc consequitur, omnium injuriis & vexationibus expositos, manifestavit.

Argu-

Argumentum XXV.

Ille qui *Esa.* 48. *vers.* 13. dicit illa verba, *Manus mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos*, est Deus ille unus. Sed Christus est, qui illa verba dicit: (Quia non alius, sed ille ipsemet, *vers.* 16. dicit se à Domino Deo missum, & Spiritu ejus: qui dixerat, *vers.* 13. Manus mea fundavit terram, ut patet legenti:) Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Negatur Minor; verba enim ista, *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*, Prophetæ sunt, non illius qui dixit, *Manus mea fundavit terram.* Hic enim sine dubio Deus ille summus est. An verò summus ille Deus, & Spiritus illius, summum illum misisse Deum dicendus est? an duo sunt summi Dii? & quo jure summus summum mitteret Deum? aut si unus idemque, an mitteret se ipsum? Propheta igitur, narraturus novum Dei sermonem, hac præfatione usus est.

Argumentum XXVI.

Cui personæ, tribuit Scriptura, quod sit

Deus

Deus ipſe, Iſai. 35. verſ.4. *venturus ad ſalvandos nos;* hanc negat eſſe natura diſtinctiam ab illo uno Deo : (ſecus eſſet ipſe, & non ipſe, & Deus in Perſona ſua, & non in perſona ſua, ut Rex eſſet, non ipſe, Cracoviæ, ſi eſſet ibi in ſuo Palatino, vel ſubdito.) Chriſto hoc tribuit Scriptura: interprete ipſo Chriſto, *Matt.*11. *verſ.*3. hoc ferè argumento. Qui aperit oculus cæcorum, & qui ſurdos facit audire, & mutos loqui, hic eſt ille Deus ipſe, qui venturus erat, cujuſque adventus ab Iſaia promiſſus eſt. Ego (ait Chriſtus) aperio oculos cæcorum, &c. Ergo ego ſum ille Deus ipſe, cujus adventus ab Iſaia promiſſus eſt. Ergo Chriſtus non eſt natura diſtinctus, ab illo uno Deo.

Reſponſio.

Major propoſitio, videtur eſſe mera nugatio; Cur verò naturâ tantum, non etiam perſonâ diſtinctam negaret Scriptura ab uno illo Deo perſonam, cui quod ſit Deus ipſe tribuit? An nnus ille Deus à ſe ipſo ſuâ diſtingui poteſt perſona? Perſona, inquies, diſtinguitur à perſona. At hoc qui fieri poteſt, in una numero, & prorſus indiſtincta natura? & ut fieri

fieri possit, una tamen numero natura, non distingueretur à sua persona. Concludere igitur debuit, Christum, non naturâ tantum, sed etiam persona ab illo uno Deo, haudquaquam esse distinctum: quod tamen concludere noluit, ne Patrem & Filium in unam compingere cogeretur personam. Ipse igitur à nobis ne in hanc Scyllam incidat, juvandus est. Minor est quam negamus. Absit verò ut eam asseruerit ipse Christus, & usus fuerit, futili usquam Argumento. Non enim omnis qui aperit oculos cæcorum, & qui surdos facit audire, & mutos loqui, hic est Deus ille ipse, qui venturus erat, cujusque adventus ab Esaia promissus est: sed qui id facit virtute à nemine accepta, quique istorum operum primus est Author. Eadem enim opera faciebant & Apostoli, an verò Apostoli erant Deus ipse? Neque Christus à se ipso divina patrabat opera, sed Dei Patris sui Spiritu ac virtute: ideò & opera sua, non sua, sed Patris sui dicebat esse opera: quin disertè docuit, Filium nihil posse facere à se ipso, *Ioan.* v. 19, 30. Quomodo igitur, inquies, Deus ipse venit ad salvandos nos, si Christus qui venerat, ipse Deus non erat? Non intelligit D. Opponens, neu-

tiquam propriè, ſed per ſimilitudinem tantum ab hominibus ſumptam, de Deo dici, cum ipſe venire, ipſe in hominibus, vel inter homines habitare dicitur. Deus enim, ut ſeſe, propriè loquendo, de loco in locum transferat, opus non habet. Itaque ipſe venire dicitur, cum ſuo Spiritu ac virtute, quamvis per alios, divina ſua opera exequitur; ipſe iſtic habitare, ubi eodem ſuo Spiritu ac virtute præſens eſt. Sic ipſe venit, ad liberandum populum ſuum ex Ægypto, quamvis id miſſo Angelo per Moſen fecerit; ipſe deſcendit in montem Sinai ad legem dandam, quamvis eò per Angelum deſcenderit; ipſe venit ut Iudæos captivitate Babylonica exſolveret, quamvis id Cyri opera ac miniſterio exequutus ſit. Ipſe etiam venit ad ſalvandos nos, quatenus in Chriſto, & cum Chriſto, erat Spiritu ſuo ac virtute. *Actor.*x.38. *&* II *Cor.* v. 19. Quin homines quoque ipſi facere dicuntur, quod per alios faciunt, ipſi venire, puta Reges, à quibus hic exemplum ſumit, cùm per Duces aut legatos ſuos veniunt, ipſi ibi eſſe, ubi per ſuos ſunt vicarios. At in perſona ſua, inquies, ibi non dicuntur eſſe, ubi ſunt per alios. Neque Deus etiam in ſua ſe

persona venturum promisit; quod tamensi promisisset, accommodate ad Deum, qui de Solio Majestatis suæ descendere nunquam habet necesse, intelligendum, ut diximus, esset. Ita ipse, & non ipse, Deus, in sua persona, & non in sua persona, alio atque alio sensu, nullam contradictionem habet. At Christus, dices, ad illud quod Ioannis attulerunt discipuli, *Tu es, qui venturus es*, annuendo respondit. Ita sanè. Sed per eum qui venturus erat, non ipse Deus, sed Dei designabatur Messias. Addunt enim, aut alium expectamus? nempe, qui sit promissus ille à Deo Messias, non verò, qui sit ipse Deus.

Argumentum XXVII.

Ille, qui à Prophetis vocatur, *Expectatio gentium*; de quo Ieremias dicit, Thren. 3. vers. 24. *Pars mea Iehova, propterea expectabo eum.* & Mich. 7. vers. 7. *Ego ad Iehovam aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum*, & David Psalmo 38. versu 8. *Quæ est expectatio mea, nonne Iehova?* Ille est Deus ille unus. Christus est qui expectatio gentium vocatur à Prophetis; quem *Ierem. 14. vers. 8.* ita alloquitur: *Expectatio Israel, Salvator ejus in-*

tempore tribulationis; quare quaſi colonus & quaſi vir vagus futurus es in terra? Et ab Euangeliſtis, apud quos & ipſe Chriſtus ad illam quæſtionem; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* reſpondit & probavit, ſe illum ipſum eſſe. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Hoc Argumentum, quatuor habet terminos: Aliter enim Deus, aliter Chriſtus, Expectatio dicitur: Deus tanquam ſalutis primus author, Chriſtus tanquam is, per quem Deus ſalutem largitur. Verba *Ierem.* XIV. 8. Non ad Chriſtum, ſed ad ipſum diriguntur Deum, qui tum ita non videbatur curare terram populi ſui, ſicut advenis & viatoribus curæ non ſunt res terræ illius per quem tranſeunt.

Argumentum XXVIII.

Cui convenit dicere verba illa apud. *Ierem.* 17. *verſ.* 10. & 11. *verſ.* 20. *Ego Iehova ſcrutans cor, & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam;* eſt Deus ille unus: ut ſignificatur, tum citatis Ieremiæ locis, tum 1. *Paral.* 28. *verſ.* 9. & alibi. Chriſto autem id convenit

dicere, dixitque ea convenientissimè, *Apoc.* 2. *vers.* 23. *Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda, & dabo unicuique vestrum, secundum opera sua.* Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Et hic sunt quatuor, imò plures termini: non solum enim, aliter Deus, aliter Christus, cordium scrutator dicitur: Deus tanquam is, qui tantam sapientiam habet à se ipso: Christus, tanquam is, qui eam habet à Deo; sed etiam in Minore omittuntur ex medio termino verba, *ego Dominus*, (nomine tetragrammato, quod noster cum aliis effert voce Iehovæ;) cùm tamen in istis omne robur foret Argumenti, si ea Christo de se dicere conveniret, aut ea de se dixisset. Ideò illis omissis, (omitti autem ea necesse fuit, cùm non esset undè id probari posset,) tota vis Argumenti dissolvitur.

Argumentum XXIX.

Ille qui, *Ierem.* 23. *vers.* 5. & 6. vocatur *David germen*, & simul *Iehova justitia nostra*, est Deus ille unus: (nomen enim tetragrammaton,

maton; quod hic eſſe aſſerunt interpretes etiam Rabbini, non tribuitur niſi uni illi Deo.) Chriſtus eſt iſte, qui illo Capite vocatur David germen & ſimul, Iehova juſtitia noſtra, vel (juxta vulgatam) Dominus juſtus noſter. Ergo Chriſtus eſt ille Deus unus.

Reſponſio.

Negatur primùm Major. Nam nec ullus eſt qui ſimul vocetur Davidis germen, & Iehova (loquamur enim nunc cum D. Opponente) juſtitia noſtra; & aliud eſt aliquem vocari Iehovam abſolutè, aliud toto aliquo complexo, cujus ſubjectum ſit Iehova, ut ſit hoc loco, *Iehova* (intelligè, eſt) *juſtitia noſtra.* Sic illius urbis ab Ezechiele deſcriptæ nomen fore dicitur, *Iehova ibi*, ſcilicet, habitat, *Ezech.* XLVIII. 35. Sic & Gedeon Altare à ſe extructum, nominat *Iehova pacis*, id eſt pacificus, intellige, hîc apparuit. *Iud.* VI. 24. ſic Abraham loco in quo arietem invenit pro filio mactandum, nomen imponit, Dominus proſpiciet, *Gen.* XXII. 14. Sic & multa alia nomina apud Hebræos, tota conſtant enuntiatione, inprimis ex nomine Dei compoſita: ut, ædificavit Moſes altare, & vocavit

nomen ejus, *Iehova exaltatio mea*, vel *vexillum meum*: Exod. 17. 15. & aliis similibus locis. Minor deindè est falsa. Neque enim Davidis germen, qui Christus est, sed Israël, proximè mominatus, Iehova justitia nostra (sensus est, Jehova nos justos fecit) appellandus dicitur. Locus similis, apud eundem Prophetam *Cap.* xxxiii. argumento est, in quo Ierusalem, ut ex genere feminino in textu Hebræo constat, hoc ipso nomine appellanda canitur. *vers.* 16.

Argumentum. XXX.

Ille Iehova, quem Iudæi in deserto tentarunt, *Num.* 21. *vers.* 5. *&* 6. *Psal.* 94. *vers.* 9. *Exod.* 17. *vers.* 7, &c. est Deus ille unus. Christus est ille quem Iudæi in deserto tentarunt, 1. *Cor.* 10. *vers.* 9. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Negatur Minor: nec Pauli verbis confirmatur, *Neque tentemus Christum, quemadmodum & quidam illorum tentarunt, & à serpentibus perierunt*. An enim repetiit Paulus nomen Christi? repetendum est inquies, ex eo quod

præcessit

præcessit. Cur non potius intelligendum est ex historia notissima? Nam cui ignotum erat, quem Israelitæ in deserto tentarint? ut minimè fuerit necesse addere, quod tentarint Deum ipsum. Et illi quidem solum tentarunt, ac tentare poterant diffidentiâ suâ Deum; nos verò, in quos fines sæculorum devenerunt, *verſ.* 12. etiam Christum, & in Christo ipsum Deum. Simili ratione locutus est Apostolus. verſ. 6. *ut non simus cupidi malorum, sicut & illi cupierunt.* Non addit quid illi cupierint, cùm notum esset omnibus, quod Mannæ pertæsi, quæ sola illis suppetebat in cibum, cupierint carnes, memoria ciborum, quibus vescebantur in Ægypto. *Num.* XI. 4, 5, 6, 10, 13, 18. & seqq. Hæc igitur illi cupierunt; at nobis Christianis aliarum rerum, nempè peccatorum cupiditas, prohibetur. Nempè omnia convenienter & veteri & Novo accipienda ac intelligenda sunt populo.

Argumentum XXXI.

Quæ Persona dicitur à S. Ioanne, *Ioan.* 1. Verbum Caro Factum, quod in principio erat Deus: per quod factus est mundus: hæc est Deus ille unus: (nec enim ulla mera creatura

oſtendi poteſt, cui hæc prædicata ſimul & collective conveniant.) Chriſtus Dominus eſt illa Perſona quæ dicitur à S. Ioanne, *Verbum caro factum*, &c. Ergo Chriſtus Dominus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Major primum negatur, quæ tantum abeſt ut vera ſit, ut is qui Verbum, qui Dei unius Verbum appellatur, qui & factus fuiſſe, & caro factus fuiſſe, & apud illum unum Deum fuiſſe, & Deus, ſed ab illo uno diſtinctus fuiſſe, per quem ab illo uno Deo mundus factus fuiſſe dicatur, unus ille Deus eſſe non poſſit. Ridiculum eſt quod addit firmandæ Majori, Nullam aliam meram Creaturam oſtendi poſſe cui hæc prædicata ſimul & collective conveniant: quid mirum? cum nulla alia creatura oſtendi poſſit, quæ Chriſtus ille Dei ſit, in quem, quidquid uſquam divinitatis fuit, Altiſſimus ille Deus congeſſit, præterquam quod ſe ipſum eum non fecerit: id enim nec facere potuit. In minore iterum, ſicut in Argument. VII. Verba Ioannis mutavit. Non enim dixit Ioannes, Verbum in principio erat Deus, quaſi poſt principium eſſet caro, ſed verbum

verbum erat in principio apud Deum; innuens illud poſt principium fuiſſe apud homines: Sed in principio tam erat caro, quam Deus; & poſt principium tam Deus, quam, dum in terris ageret, Caro; imò cum dubium non eſſet Verbum nunc Deum eſſe, poſtquam à dextris divinæ conſedit Majeſtatis in Cæleſtibus docet Ioannes illud etiam tunc cum in terris verſaretur, Deum fuiſſe.

Multa ex hoc ipſo loco tela depromi poſſunt contra D. Opponentem, ſed ea indicaſſe ſufficiat; Unum tamen à nobis argumentum accipiat, ut videat glorioſiſſimum illud, Verbum Caro Factum eſt, pro nobis ſtare, non pro ipſo. Verbum, aut fuit antequam Caro fieret, aut non fuit: ſi fuit, poſtquam Caro factum eſt, Verbum eſſe deſiit. Deus igitur ſummus non fuit. Is enim Deus eſſe nunquam deſinit. Probatur connexum. Omnis enim ſubſtantia, quæ fit alia ſubſtantia, prior ſubſtantia eſſe deſinit: quod non inductione tantum omnium Exemplorum probari poteſt ita ut nullum detur diſſimile exemplum; ſed etiam aperta ratione. Eſſe enim facta & non facta, quod implicat contradictionem. Si non fuit Verbum antequam Caro factum eſt: Ergo Esset

Deus summus non fuit. Deus enim summus semper fuit. Quid igitur à Ioanne doceri statuendum est? Hoc nempè, Verbum & factum esse; & cum fieret, carnem, id est hominem mortalem, factum esse, etsi gratiæ & veritatis, omnisque Divinitatis plenissimum.

Argumentum XXXII.

Quæ Persona ab Apostolis vocatur Dominus & Deus noster, hæc est Deus ille unus: (Nam quilibet Christianorum novit, sibi à Christo dictum esse; *Mar.* 12. *vers.* 30. & 33. *Audi Israel, Dominus Deus unus est*, præter quem non est alius: & illud *Matt.* 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum Divino cultu coles* (λατρεύσεις.) Sed Christus ab Apostolis vocatur Dominus & Deus noster: nempè à S. Thoma, *Ioan.* 20 *vers.* 28. à S. Paulo, 2. *Thes.* 1. *vers.* 12. & 1. *Tim.* 5. *vers.* 21. ubi unitas articuli, unitatem Personæ indicat & à S. Iacobo, *Cap.* 1. *vers.* 1. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Ubique in istis Argumentis quatuor occurrunt termini. Aliter enim seu sensu alio, unus

ille, Deus vocatur ab Apostolis Dominus & Deus noster, alio Christus. Ideò subjectum Majoris circumscribendum est; alioquin enim latius patebit quam prædicatum, & sic Syllogismus erit vitiosus, vel Majore particulari in prima, vel puris affirmantibus in secunda figura. Quæ Persona vocatur, ab Apostolis Dominus, non distinctus ab Uno illo Deo, & voce Domini, pro nomine tetragrammato ex Græcorum interpretum consuetudine, abusivè posita, (quibus Religio fuit nomen tetragrammatum pronunciare, & significatione propria interpretari:) quæ item Persona, ab Apostolis vocatur Deus noster, voce Dei κατ᾽ ἐξοχὴν accepta, pro summo Deo, proindè etiam subjective, & communiter, nec copula inter Domini & Dei vocem inserta, hanc fatemur Unum illum Deum esse. Et huc pertinent dicta, *Mar.* XII. *vers.* 30, 33. *Matt.* IV. 10. Unus enim est summus & Altissimus Deus, nomine tetragrammato appellatus, & præter ipsum non est alius, quatenus omnes qui verè Dii sunt ab ipso pendent, non aliundè quàm ex gratia ipsius Divinitatem suam habentes. Ille etiam solus divino cultu afficiendus est, quatenus præter ipsius expressam

volun-

voluntatem, fas non eſt, quenquam alium cæleſti afficere cultu; at voluntate ejus accedente, omnis ille cultus in ipſum ſolum redundat. Et hinc ſit, ut abſolutè & ſubjectivè Deus vocetur, aut cum articulo excellentiam denotante. Subjecto Majoris ſic circumſcripto, falſa eſt Minor. Chriſtus enim ab Apoſtolis vocatur Dominus; ſed ſemper ab Uno Deo diſtinctus, tanquam Dominus ab ipſo factus, *Actor.* II. 36. *Epheſ.* I. 20, 21, 22. *Philip.* II. 9, 10, 11. quin hoc ipſo nomine, tanquam minus auguſto, ab Uno illo Deo diſtinguitur, & vox Domini, in ſua propria ſignificatione, non pro tetragrammato nomine, de Chriſto accipitur. Deus item, quanquam perraro, & aliquoties tantum, idque prædicative ſolummodò, & ſine articulo vim excellentiæ denotandæ habente, appellatus eſt; ſed eodem ſenſu quo appellatur Dominus, diſtinctus ſimiliter ab Uno illo Deo, tanquam is qui divinitatem ſuam ab illo acceperit, & cujus Altiſſimus ille, Deus ſit. Hinc Pſaltes de Chriſto, *unxit te ô Deus, Deus tuus, Pſal.* XLV. hinc & Chriſtus ipſe Altiſſimum illum, Deum ſuum vocat, *Ioan.* XX. 17. *Apoc.* III. 12. Idem & Apoſtoli faciunt creberrimè. Eodem haud dubie

dubie ſenſu Thomas Chriſtum, poſtquam ab eo mortem vidit ſuperatam, Dominum ſuum ſalutat; ſed cùm vellet non vulgarem aliquem Dominum ſignificare, etiam Deum ſuum appellat, ut eum divinum ſuum Dominum, id eſt Chriſtum illum Dei eſſe aſſereret, ac proindè ſuum, ſummi illius Dei beneficio, Deum. Porrò longe minus eſt ſi quis aliquem Deum ſuum vocet, quàm ſi quis noſtrum omnium Deus vocetur: quo nomine Chriſtus nuſquam expreſſe eſt inſignitus, nedum ut id fiat communiter aut ſubjectivè; multò verò minus Chriſtus, conjunctim & ſine copula, Dominus Deus noſter ullibi vocatus eſt. Loca quæ D. Opponens notavit, II. *Theſſ.* I. *verſ.* 12. & I. *Tim.* V. 21. *Iacob* I. I. In quibus Dei noſtri & Domini Ieſu Chriſti fit mentio, neutiquam id probant: quin contrarium apertè docent. Nam *Dei* nomine, ut & alibi ſemper, ſummus Deus, non Ieſus Chriſtus: *Domini* nomine, Jeſus Chriſtus, non ſummus Deus, deſignatur. Et ſanè præpoſterum foret, quem auguſtiſſimo Dei nomine deſignaveris, communiorem Domini appellationem eidem adjicere: quis enim neſciat Dominum eſſe, qui Deus ſit? Ideò nec dici ſolet, Deus Dominus noſter,

ſed

ſed Dominus Deus noſter, ut aſcendat non deſcendat oratio. Nam quòd peculiaris articulus, vocibus Domini Ieſu Chriſti non adjiciatur locis citatis, qui tamen alibi ferè ſemper addjicitur, hoc nihil eſt. Non enim ſemper adjici ſolet, quoties res diverſæ deſignantur; quæ ipſę per ſe diverſitatem ſuam produnt. Exempla iſtius rei congerere nil attinet, cum hoc ignorare non poſſint, qui Gæce ſciunt. Sed ex hoc ipſo Capite 11 ad Theſſal. exemplum iſtius rei petere poterat, ſi tam Capitis initium conſideraſſet, quàm finem. *Paulus & Silvanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, &* (non adjecto articulo,) *Domino Ieſu Chriſto*, verſ. 1. *Gratia vobis & Pax à Deo Patre noſtre, &*, (iterum ſine articulo,) *Domino Ieſu Chriſto*, verſ. 2. Idem fit & initio prioris ad eoſdem Theſſalonic: Epiſtolæ. An verò dicemus propter articuli unitatem, Unam hic deſignari perſonam, & Domium Ieſum Chriſtum appellari Deum Patrem? Vide & in eadem ad *Tim* VI. 13, ubi Ieſus Chriſtus ſine articulo præfixo aperte à Deo Vivificante omnia diſtinguitur. Relinquamus hìc D. Opponenti tale Argumentum: Qui diſtinctè ab uno illo Deo appellatur Dominus,

Dominus, is non eſt Deus ille Unus: quorſum enim eſſet iſta diſtinctio? Chriſtus diſtinctè ab uno illo Deo appellatur Dominus, teſte univerſa Scriptura. Ergo, &c.

Argumentum XXXIII.

Quæ Perſona ab Apoſtolis vocatur Deus & Salvator noſter, hæc eſt Deus ille Unus: ut innuit S. Paulus 1. ad *Tim.* 6. 13. & *Cap.* 2.4. Chriſtus Dominus vocatur ab Apoſtolis Deus & Salvator noſter. 1. ad *Tim.* 1,11. Ad *Tit.* 11. 11, 13. & 2. *Petr.* 1. 1. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus. Confirmatur: Quia Chriſtus Dominus, *Actor* 4. 11, 12. tantus à S. Petro vocatur Salvator, ut non ſit in alio aliquo ſalus: cum aliud nomen, ſub cælo non ſit hominibus datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Eſt Ergo Chriſtus Dominus, Salvator, modo proprio Soli Deo, abſoluto vitæ noſtræ Domino. Undè etiam ipſemet Chriſtus Dominus, Ioa. 5. 21. ait: *ſicut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat; ſic & Filius quos vult vivificat.* & vſ. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Confirmatur ſecundo. Quia Chriſtus Dominus abſolutè & ſine ulla limitatione, vocatur *Author vitæ*,

Actor.

Actor. 3. 15. *Author salutis*, Hebr. 11. 10. *Causa salutis æternæ*, Hebr. v. 9.

Responsio.

Hoc Argumentum, Primum, quatuor habet terminos. Aliter enim Christus, & Deus, & Salvator noster vocatur, aliter Deus ille unus: Christus tanquam is, qui & divinitatem suam, & salvandi nos potestatem, ab illo Uno Deo acceperit: Deus ille unus, tanquam primus fons & origo, omnis & divinitatis, & salutis. Deindè negatur Minor. Neque enim usquam Christus conjunctim Deus & Salvator seu Deus Salvator noster appellatur. Et loca quæ producit, omnia, in quibus Dei Salvatoris nostri, aut Dei magni fit mentio, de summo Deo, Christi Patre, non de ipso Christo accipienda sunt; cùm aperte in iis distincta Iesu Christi fiat mentio. Nam quod peculiari articulo Iesus Christus non distinguitur, hoc quam leve sit, in proximè præcedenti Argumento ostendimus. Omnes isti loci quos in confirmationibus Argumenti sui notavit, D. Opponenti adversantur. In Primo, Christus talis esse dicitur Salvator, ut ejus nomen datum sit, nempe à summo Deo, hominibus, in quo serventur.

In secun-

In ſecundo, Pater dicitur, dediſſe Filio, ut vitam in ſe ipſo habeat, ac proinde & alios vivificare poſſit. In tertio, dicitur Chriſtus Author vitæ, ſed qui fuerit à Judæis occiſus, & à Deo reſuſcitatus, ac in Auctorem vitæ & Salvatorem dextra illius exaltatus, *Actor.*v. 31. In quarto, vocatur Auctor Salutis, ſed à Deo per paſſiones conſummatus, & qui non minus ſit ex Deo, quam alii Dei Filii, ob quam cauſam etiam Fratres eos appellare non erubeſcat. In ultimo, dicitur cauſa ſalutis æternæ, ſed factus, appellatus à Deo Summus Sacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedec.

Argumentum XXXIV.

Qui eſt ſuper omnia; neminem ſe habet ſuperiorem: atque ideò eſt Deus ſummus: ut ex terminis manifeſtum eſt. Chriſtus Dominus in Forma Dei, eſt ille, qui eſt ſuper omnia, *Ioan.*III. 31. & *Rom.*9.*verſ.*5. Ergo Chriſtus Dominus in Forma Dei, neminem ſe habet ſuperiorem: atque ideò eſt Deus ſummus.

Reſponſio.

Limitanda eſt Major; Qui eſt ſuper omnia

nia Deus, nemine prorſus excepto, qui neminem ſe habet ſuperiorem; parum hoc eſt, niſi etiam neminem habeat parem; hic demum eſt Summus ille Deus, hac limitatione addita, falſa eſt Minor; Chriſtus enim ita eſt ſuper omnia, ut excipiatur Pater, 1.*Cor.* xv. 27. ita neminem habet ſe ſuperiorem, ut Patrem habeat ſibi in omnibus parem. Solus Pater ita eſt ſuper omnia, ut nemo prorſus ſit exceptus; ita neminem habet ſuperiorem, ut nec ullum habeat parem, quatenus nimirum ille ſolus eſt qui omnia habet à ſe ipſo; cæteri omnes, & Filius, ſunt & omnia habent ab ipſo: quo reſpectu etiam, ipſe Filius, Patrem ſe Majorem eſſe dixit, *Ioan.* xiv. 28. Præterea quatuor ſunt in hoc Syllogiſmo termini. Aliter enim Summus ille Deus eſt ſuper omnia, ac neminem habet ſe ſuperiorem, aliter Chriſtus: ille unus Deus, ex ſe ipſo: Chriſtus illius Summi Dei beneficio: qui omnia ſubjecit pedibus illius, & ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, 1.*Cor.* xv. 26. *Eph.* 1. 21, 22. donavitque illi nomen ſupra omne nomen, (id eſt dignitatem ac Majeſtatem omni alia longe excelſiorem,) ut in nomine illius omne genu flectatur, & omnis lingua confi-

confiteatur Dominum esse Iesum Christum, ad Gloriam Dei Patris: *Phil.*II. 9, 10. Forma Dei in qua Christus fuisse dicitur, huc non facit, ut in Argum. VII. & XII. ostendimus.

Argumentum XXXV.

Ille, qui *Oseæ* 6. 6. ait, se misericordiam velle non Sacrificium; est Deus ille Vnus: ut patet ex contextu Capitis. Christus ait se misericordiam, velle non Sacrificium, *Matt.* 9. *vers.* 13. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Quatuor & hic sunt termini. Neque enim Christus est qui apud Ozeam hæc verba protulit; ut in Minori assumendum erat. Protulit ea apud Matth. ex Ozea petita, non tanquam à se, sed tanquam à Deo olim dicta; non tanquam is qui ipse misericordiam ab hominibus exigat, & non sacrificium, sed tanquam is qui iis obtemperet, & misericordiam in sanandis & ad Deum adducendis peccatoribus exerceat.

Argumentum XXXVI.

Deus gloriæ est unus ille Deus: *Actor.* 7. 2.

Christus Dominus est Deus gloriæ : (Vocatur enim *Dominus gloriæ.* 1.Cor.2.8. & *Splendor gloriæ*, Hebr. 1.3.) Ergo Christus est Deus ille Unus.

Responsio.

Et hic sunt quatuor termini. Deus gloriæ, κατ' ἐξοχὴν seu à se ipso, est Unus ille Deus. At Christus est Dominus gloriæ, seu gloriosus, quia est gloria & honore à Summo Deo coronatus: *Hebr.* 11.9. Ideò nec Deus, sed Dominus gloriæ appellatur, 1.*Cor*.11.8. Nec illa ipsa gloria quâ Deus ex se ipso radiat, sed illius Splendor dicitur; *Hebr.* 1.3. Ideo & Stephanus olim cælis apertis distinctè vidit gloriam Dei, (ipsum enim Deum non vidit,) & Filium hominis, stantem à Dextris Dei; quatenus eum vidit à dextris stantem illius gloriæ. Sic *Ezech*. XLIII. 2, 4. Dei gloria, pro ipso Deo sese conspiciendam præbet. Dirigere ex hoc ipso loco efficaciora tela in D. Opponentem possemus, sed sufficiat aciem illorum ostendisse.

Argumentum XXXVII.

Ille qui reddet uni cuique secundum opera ejus,

ejus, eſt Deus ille unus: *Rom.* 11. 6. Chriſtus Dominus reddet unicuique ſecundum opera ejus: *Matth.* 16. 27. Ergo Chriſtus Dominus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Quatuor hic ſunt termini: Aliter enim Deus ille Vnus reddet uni cuique ſecundum opera, aliter Chriſtus. Deus ille unus, per Chriſtum, ut ex hoc ipſo loco, *Rom.* 11.6. ad *verſ.* 16. apertè conſtat: Chriſtus verò poteſtate iſtius rei à Deo accepta, *Actor.* x. 42.

Argumentum XXXVIII.

Ille quem à gentibus voluit laudari David. *Pſal.* 17. *verſ.* 50. & *Pſal.* 116. *verſ.* 1. eſt Deus ille Vnus. Chriſtus Dominus eſt ille, quem à gentibus voluit laudari David, teſte S. Paulo, *Rom.* 15. 9. & 11. Ergo Chriſtus Dominus, eſt ille unus Deus.

Reſponſio.

Negatur Minor; nec Pauli teſtimonio Confirmatur. Quæ vides *Rom.* xv. 9, 11. teſtimonia, unde & in hunc ſolum finem citat, ut prædictum fuiſſe Dei laudes à Gentibus cele- qui Da vidis nude

 brandas

brandas oſtendat: de eo autem quod David voluerit à Gentibus Chriſtum laudari, verbum nullum. Sed eſto; voluerit id David Pſalmis citatis: at voluit implicitè, quatenus per Chriſtum & in Chriſto Deus à gentibus, laudibus erat afficiendus: expreſſe autem Deum illum unum laudari voluit. Ita quatuor terminis conſtabit Argumentum.

Argumentum XXXIX.

Conditor Novi Teſtamenti, eſt Iehova, & Deus Iſraël: teſte *Ierem.* 31. *verſ.* 31. & ſeqq. & *cap.* 32. *verſ.* 40. Chriſtus eſt Conditor Novi Teſtamenti, teſte S. Paulo, *Hebr.* 8. *verſ.* 8, 9, 10. & *cap.* 9. *verſ.* 15. & *cap.* 10. *verſ.* 16. Ergo Chriſtus eſt Jehova, & Deus Iſraël.

Reſponſio.

Quatuor & hic ſunt termini. Aliter enim eſt Novi Teſtamentum Conditor ſummus Deus, aliter Chriſtus. Ille, tanquam primus illius Author, Chriſtus, tanquam Mediator, ut ex his ipſis locis conſtat, *Hebr.* VIII. 6, & IX. 15. & X. 16. & ſponſor, VII. 22. Novo & hinc telo peti poſſetD. Opponens, ſi brevitatis leges permitterent. Nimirum, Vnus eſt Deus,

Deus, Vnus & Mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus, 1. *Tim.* 11. 5.

Argumentum XL.

Dominus Deus Spirituum Prophetarum, est Deus ille Vnus: *Apoc* 22. *vers.* 6. Christus est Domnius Deus Spirituum Prophetarum, ibidem *vers.* 16. Ergo Christus est Deus ille Vnus.

Responsio.

Minor negatur. Neque id dicitur *Apoc.* XXII. 16. sed tantum, quod Domnius Jesus miserit Angelum suum. An verò quia Dominus Deus Spirituum Prophetarum misit Angelum suum, *vers.* 6. Dominus Iesus item misit Angelum suum, Idcircò Dominus Iesus, erit Deus Spirituum Prophetarum? Non sequitur. Aliter enim Deus, aliter Christus, Angelum suum misit; Deus, per Christum, seu, data illi potestate; Christus, accepta à Deo potestate: *Apoc.* 1. 1.

Argumentum XLI.

In quo Habacuc exultavit, & quem Iehovam & fortitudinem suam appellavit, ille est

Deus Israël: vel Deus ille unus. Iesus est ille, in quo Habacuc ut in Domino Deo suo exultavit, &c. *Hab*.III. 18. & 19. Ergo Iesus est Dominus Deus Israël.

Responsio.

Minor est apertè falsa. Neque ulla, etiam vana & inanis conjectura, in verbis Prophetæ citatis apparet, illum in iis de Christo locutum esse.

Argumentum XLII.

Ille Iehova, in cujus ortus splendore venturos de longinquo Reges; & in cujus homine ambulaturas gentes prædixit *Isaias, cap.*6. *vers.*3. est Deus Israël ille Vnus. Christus Dominus est ille, in cujus ortus splendore venturos Reges, & ambulaturas gentes prædixit Isaias: teste S. Ioanne, *Apoc.*21. *vers.* 24. & S. *Matt*. 2. *vers.* 2. & *cap*. 4. *vers.* 16. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Major primum hujus Argumenti videtur esse nugatoria, cùm nec Iehova ullus sit alius præter unum; & Iehova, idem sit qui Deus

Iſraël ille unus. Deinde plures hic ſunt termini quam tres. Nam vox Iehovæ, non aſſumitur in Minore, nempe quia probari non poterat hac voce adjecta, & mera fuerat petitio ejus quod in principio. Præterea, licet in Majore omitteretur, nihilo ſecius quatuor eſſent termini in hoc Argumento. Aliter enim ortus iſtius Splendor & lumen, Dei, aliter Chriſti eſſe dicitur. Dei, tanquam proprium, nec ipſi ab ullo communicatum; Chriſti, tanquam ipſi à Deo communicatum. Priore ſenſu, vera eſt Major, falſa Minor. Poſteriore ſenſu, Minor vera, Major falſa. Alioquin etiam ſequeretur, Ieruſalem eſſe Deum Iſraelis illum Vnum; Nam in ipſius lumine gentes ambulaturæ dicuntur, *Eſa* LX. 3. *Apoc* XIX. 11, 24. Eſſe vero diſcrimen, quod diximus, inter Dei, & Agni, qui Chriſtus eſt, Splendorem; ille ipſe locus Apoc. à D. Oppenent citatus docet, in quo Dei gloria Ieruſalem illuminatura, Soli comparatur: Agnus verò illius, lychnus; quaſi lunæ, quæ lucem ſuum à Sole capit, comparatus, eſſe dicitur, *verſ* 23. Adventus Magorum, Chriſto nato, Bethlehemam, ad hoc vaticinium Eſaiæ nihil pertinet. Neque enim aut Reges iſti fuiſſe dicun-

tur à Matthæo, haud dubie id nomen apud ipſum habituri, ſi Reges fuiſſent, aut non longè auguſtiorem, eumque Spiritualem ſenſum habeant, hæc Prophetarum oracula; quæ dum Veteres inconſulto ad Magorum adventum applicant, ex Magis Reges fecerunt, eorùmque etiam numerum nobis definiverunt, ex triplicibus (ut puto) donis, ternarium; aut a denique Propheta loquitur de Ortu nativitatis Chriſti, & non de Ortu adventus ejus in mundum cum luce Euangelii, *Ioan*. 1. 9.

Argumentum XLIII.

Quem, eodem loco *verſ*. 19. Iſaias prædixit futurum lucem ſempiternam Iſraelis, loco Solis & lunæ, hic eſt Deus Iſrael, ille Vnus. Chriſtus eſt ille ipſe: teſte S. Luca, *Cap*. II. 32. & S. Ioannis, *Apoc*. XXI. 23. & *Cap*. XXII. 5. Ergo Chriſtus eſt Deus Iſrael ille Vnus.

Reſponſio.

Major eſt limitanda; Quem prædixit Eſaias futurum lucem ſempiternam Iſraelis, loco Solis & lunæ, tanquam iſtius lucis Primum Authorem, hic eſt Deus Iſrael ille unus. Hac limi-

limitione apposita, Minor est Falsa. Christus enim est in lucem sempiternam Israelis, quatenus eum Deus dedit, & paravit in lucem & revelationem Gentibus, *Esa.* XLII. 6. *Luc.* II. 32. & instar Solis oriri fecit, ut per ipsum, & in ipso, luceret omnibus, *Luc.* I I. *vers.* 78. *Matth.* IV, 16.

Argumentum XLIV.

Ille, de quo Iehova dixit Oze. I, vers. 7. *Miserebor domui Iuda, & salvabo eos in Domino Deo suo*, est Deus Israel, & Deus Iuda. Christus est ille de quo hæc verba Iehova dixit: (cum non sit in alio aliquo salus, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi, *Actor.* IV. 11.) Ergo Christus Dominus & Salvator noster, est Deus Israel, & Deus Iudæ.

Responsio.

Hoc Argumentum, & alia hujus generis, peperit Hebrææ linguæ ignorantia, quæ & Iustinum in colloquio cum Tryphone transuersum egit, ex similibus Scripturæ dictis, duos Dominos & Deos colligentis, & signum attollentis, adstatuendam in Christo naturam, secundum quam Deus fuerit, ante quam homo nascere-

nasceretur. Solent Hebræi nomen ponere loco pronominis. Ideò cum Deus dicit, Salvabo eos in Domino suo, perindè est, ac si diceret, Salvabo eos in me ipso, seu per me ipsum. An enim duo sunt Domini Dei Israelis, quorum Vnus salvat Israelem per alium? Itaque Minor istius Argumenti est falsa. Non est in alio aliquo salus, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi; sed tanquam hominibus à Deo dato: *Actor.* IV. 11. & tanquam Salvatore à Deo excito: *Actor.* XIII. 23.

Argumentum XLV.

Cui convenienter tribui possunt verba illa, Dei loquentis; Ego sum, &c. Qui est, &c. hic est unus ille Deus. Nam ipsemet Deus ille unus, hoc sibi nomen tanquam proprium, suique ab omnibus aliis distinctivum, dedit: *Exod.* III. 14. Christus hæc verba convenientissime usurpavit ipse, *Ioan.* 8. *vers.* 24. & 28. & 58. & *Cap.* 13. *vers.* 19. & hisce verbis, in horto turbam contra se venientem, tanquam fulmine, in terram dejecit: *Ioan.* 18. *vers.* 5. & 6. & convenientissime sunt ei adscripta à *S.* Ioannis, *Cap.* 1. 8. & à S. Paulo,

ad *Rom.*

ad *Rom.* 9. *verſ.* 5. ubi dicitur, ὁ ὢν, &c. Ergo Chriſtus eſt Deus ille Vnus.

Reſponſio.

Quam futile ſit hoc Argumentum, ſupra oſtendimus, Argum. XIII. Solet enim noſter, Vnum Argumentum aliquoties ſcribere, ut centuriam ſuam impleat, *Ioan.* XVIII. 5, 8. Verbis *Ego ſum*, non ſimpliciter ſe eſſe, ſeu exiſtere, dicit Chriſtus; ſed ſe eſſe illum ipſum qui quærebatur, id eſt Ieſum Nazarenum, *verſ.* 5, 7. Dum verò huc refert Verba *Ioan.* 1.18. de Chriſto, qui eſt in ſinu Patris, & Pauli, *Rom.* IX. 5. qui eſt ſuper omnes Deus benedictus in ſecula, Græcè ut robique ὁ ὢν, vel nobis illudit, vel ſe Græcæ linguæ penitus ignarum eſſe oſtendit, non intelligens participium ὢν in his & ſimilibus innumeris dictis, copulæ vim habere, non loco ſubjecti aut prædicati ali cujus loco poni.

Argumentum XLVI.

In cujus nomine æquè ac in nomine Dei Patris baptizamur, is ita eſt Deus ille Vnus, ſicuti eſt Pater; neque enim in ullius creaturæ nomine, baptiſmo à Chriſto conſtituto,

in remissionem peccatorum, & justificationem animarum, possumus baptisari: quia ab hoc tantopere abhorruit S. Paulus, ut gravissimi absurdi instar inferret, 1.Cor.1. vers. 13. *Nunquid in nomine Pauli baptisati estis?*

Responsio.

Negatur Major. Sufficit enim ut Christiani omnes, illius se se Discipulos possint appellare, seu illius nomen præferre, qui certè Christus est, quatenus est Christus: *Matt.* XXIII. 8, 10. Undè etiam ab ejus nomine Christiani nuncupamur. Quod confirmandæ Majori subjicit, illud ipsum est quod debet probari. Moses certè & Ioannes Baptista, homines fuerunt, & tamen in Mosen baptizati fuerunt Israelitæ: 1.*Cor*.X. 2. & in Ioannis baptisma, id est doctrinam, baptizabantur qui eam suscipiebant, proinde & in Ioannis nomen: *Act.* XIX. 4. hinc & Ioannis nominabantur Discipuli, *Matth*.IX. 14. & XI. 2. qui iidem in remissionem peccatorum & justificationem, pro ut Joannis doctrina erat, baptizabantur animarum. Nec Paulus ideò abhorruit à baptizandis in nomen suum hominibus, quòd non esset Summus ille Deus; sed quod omnem

nem docendi vim à Christo esset consecutus; & non sibi, sed Christo, cujus & ipse discipulus erat, discipulos faceret; memor illius præcepti, dicto *Matth.* loco sibi & omnibus à Christo dati.

Argumentum XLVII.

Dominum Sabbati, nemo potuit se dicere, nisi Deus ille Vnus. Nam ipsemet Deus, Sabbatum esse specialiter suum dicebat, *Exod.* 31. *vers.* 13. *&* 14. *Levit.* 19. *vers.* 39. & sæpe alibi. Christus potuit dicere, & dixit se Dominum Sabbati: *Matth.* 12. *vers.* 8. *Mar.* 2. *vers.* 28. *Luc.* 6. *vers.* 5. Ergo Christus est Deus ille Vnus.

Responsio.

Quatuor & hic sunt termini: Deus ille unus, est Dominus Sabbati, ex se ipso: Christus, ex illius dono. Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus: *Ioan.* III. 33. fecit eum Dominum & hæredem universorum, *Hebr.* 1, 2.

Argumentum XLVIII.

Principium & ultimus finis creaturarum

omnium,

omnium, & Deus ille unus, uti non ſolum fidelibus, ſed etiam Ethnicis conſtat Philoſophis. Chriſtus eſt principium & finis creaturarum omnium: quia dicitur principium Creaturæ Dei *Apoc.* III. 14. Principium & finis, *Apoc.* I. 8, 18. & *Cap.* XXII. 13. per quem & in quem (juxta Græcum textum) omnia creata ſunt, *Coloſſ.* I. 16. Ergo Chriſtus eſt Deus ille Vnus.

Reſponſio.

Hoc Argumentum, reipſa idem eſt cum Arg. XXI, & quæ ibi dicta ſunt, hunc transferri poſſunt. Sunt verò hîc complures termini. Nam Primum, Deus eſt principium ex quo, ſeu abſolutè: principium primum; Chriſtus eſt principium per quem, per Chriſtum enim creata ſunt omnia: I. *Cor.* VIII. 6. *Col.* I. 16. Secundo, Deus eſt principium omnium abſolutè Creaturarum: Chriſtus principium Novarum tantum: II *Cor.* V. 17, 18. Tertiò, Deus ita eſt principium, ut ipſe nullum habeat principium: Chriſtus, ita eſt principium, ut & ipſe principium habeat, Deum Patrem ſuum. Atque huc pertinet locus *Apoc.* III. 14. ubi Chriſtus ſeſe appellat principium creaturæ

turæ Dei, nempè Novæ, quod ipſe primus ſit & princeps inter Novas creaturas, eodem ſenſu Paulus Chriſtum primogenitum appellat omnis Creaturæ. Omnis enim primogenitus, eſt ex eorum numero, quorum dicitur primogenitus: Sic primogentus Mortuorum, fratrum, Regum, de Davide, & conſequenter de Chriſto. Quartò D. Oppenens omittit in Minori, vocem ultimi, de fine agens, quam poſuerat in Majori. An ipſe vidit Chriſtum non eſſe finem ultimum, ſed medium? 1. *Cor.* VIII. 6. Nam prout eſt principium, ſic eſt & finis: *Coloſſ.* I. 16. Locus *Apoc.* I. 8. non de Chriſto, ſed de ſummo Deo agit, *Apoc.* XXII. 13. dicit Chriſtus ſe eſſe Principium & finem, ſed quatenus eſt primus & ultimus, ut ſtatim verba ſua explicans adjicit; hoc vero hactenus, in primis, de ſe dicit, quatenus fuit Mortuus, & nunc vivit in ſecula ſeculorum, & habet claves inferni & mortis: *Apoc.* I. 18. qua de re pluribus egimus. Arg. XXI.

Argumentum XLIX.

Cui S. Scriptura tribuit, quod ſit talis Deus, ut non ſit æſtimandus alius adverſus eum: & quod invenerit tradideritque omnem viam

disciplinæ Iudæis; *Bar.* 11. 36. hic est Deus ille unus. Christo id scriptura tribuit, ibid. *vers.* 38. quia hic est Deus ille, qui postquam tradidisset Iudæis omnem viam disciplinæ, interris visus est, & cum hominibus conversatem est. Ergo Christus est ille unus Deus.

Responsio.

Negatur Minor. Baruch enim *cap.* III. 38. de Sapientia, de qua etiam, *vers.* 27, 28, 37. & de lege divina *cap.* IV. 1. hoc dixit; non de Christo. Ideò saniores interpretes vertunt in fæminino, In terris visa est, & cum hominibus conversata est. Hic autem locus egregiè mentem Salomonis explicat, de sapientia d.fferentis.

Argumentum L.

Ille Dominator, qui ad templum Hierosolymitanum ut ad templum suum, id est sibi dedicatum, venit, *Mal.* 3. *vers.* 1. est Deus ille unus: (Nec enim templum illud ulli alteri erat dedicatum, quàm uni illi Deo.) Christus est ille Dominator, qui venit ad templum Hierosolymitanum, ut ad templum suum sibique dedicatum. (Neque enim Christus, potuit

tuit dicere, templum illud esse suum, ob ædificium, vel ministerium, vel aliam aliquam ob causam; præter solam, sibi tanquam uni Deo factam, dedicationem. Dixit autem esse domum suam, *Luc.* 19. 46. *Domus mea, Domus orationis vocabitur.*) Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Negatur Major. Dominator enim iste *Mal.* III. 1. est Messias promissus & expectatus; ideò ibidem vocatur Angelus fœderis, quod de summo Deo dici nequit; quin & summus ille Deus, seu Dominus exercituum, apertè sese ab ipso ibidem distinguit. Templum autem istud, non ideò Messiæ dicitur, quod ipsi dedicatum esset; sed quod, sicut omnia, ipsi à Deo, tanquam Filio Vnigenito, *Hebr.* III. 6. datum esset. Verba illa, *Domus mea, Domus orationis vocabitur*, ad rem non faciunt. Neque enim illa Christus tanquam sua, sed tanquam Dei verba, & à Propheta descripta refert, *Esa.* LVI. 7. *Matth.* XXII. 13. *Mar.* XI. 15. *Luc.* XIX. 46.

Argumentum L I.

Cui Personæ tribuit S. Scriptura, quod eam

præcesserit S. Ioannes, tanquam ejus legatus, in Spiritu & virtute Eliæ, & quod ad eam ipsam filios Israel converterit; ille est Dominus Deus Israel, *Mal.* I I I. I. *Luc.* I. 16. Sed hoc S. Scriptura tribuit Christo. Quod enim S. Ioannes præcesserit Christum Dominum, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum; testatur præter S. Ioannem & alios Euangelistas, S. Paulus, *Actor.* 13. *vers.* 24. Ergo Persona Christi est Dominus Deus Israel.

Responsio.

Quatuor hic sunt termini; perpetuum ferè vitium istorum centum Argumentorum. Præcessit enim Ioannes, & Deum, & Christum; Deum tanquam in Christo venientem; Christum tanquam illius Magnum Legatum, & ut apud Malachiam dicitur, Novi Fæderis Angelum.

Argumentum L I I.

Quæ Persona, est omnino immutabilis, est Deus ille unus, qui dicit, *Mal.* I I I. 6. *Ego Iehova, & non mutor.* Christus est Persona immutabilis: quia de eo verba illa *Psal.* 101. *vers.* 26.

verſ. 26. dicta cenſet Apoſtolus, *Hebr.* I. 10. *Ipſi* (cæli) *peribunt, tu autem permanebis; omnes veteraſcunt & mutabuntur*, Tu autem idem ipſe es, &c. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Iterum quatuor termini. Deus eſt immutabilis ex ſe ipſo: Chriſtus Dei beneficio. Ideò conſummatus factus, nempè à Deo, dicitur *Hebr.* II. 10. & V. 9. & VII. 24, 28. Idem & nobis olim eveniet per Chriſtum: *Hebr.* XI. 40. & I. *Cor.* XV. 48, 49, 53, 54, 55.

Argumentum LIII.

Cui S. Scriptura tribuit nomen Dei, fortis, admirabilis, conſiliarii vivi, magni, exiſtentis ſuper omnia, benedicti in ſecula ſeculorum; hic eſt Deus ille unus. (Nam citra petitionem principii, nulla Perſona quæ non ſit Deus ille unus, poteſt oſtendi, cui S. Scriptura tribuerit Nomen Dei cum tam ſublimibus adjunctis: & D. Slichtyng in Symbolo, titulum Dei magni proprium eſſe illi uni Deo, pluribus locis Scripturæ probat, in notis adductis ad primum Symboli Articulum, literâ h.) Chriſto etiam cum puero, tribuit Scriptura nomen Dei, for-

tis, admirabilis, consiliarii, *Esa.* 9. *vers.* 6. & postea, Nomen Dei vivi, 1. *Tim.* 4. *vers.* 10. Nomen Dei magni, *Tit.* 11. *vers.* 13. Existentis super omnia, & benedicti in sæcula, *Rom.* 9. *vers.* 5. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Vidit locum Esaiæ non sufficere ad Arguendum quod voluit, ideò alia admiscuit, partim non admiscenda, partim jam ab ipso allata, & à nobis sublata, partim non plus virium, quàm quæ apud Esaiam habentur, Argumento ipsius allatura: Separemus igitur primum, quæ admiscenda non erant. Deum vivum, Deum magnum, nusquam Scriptura Christum appellat, & quæ notavit Scripturæ dicta, non de Christo, sed de Summo Deo, Christi Patre, loquuntur; quæ dum ad Christum trahit, principium petit. An enim quia, 1. *Tim.* IV. 10. Deus vivus, Servator omnium hominum appellatur, idcircò Christus intelligendus est? Credo, Summus ille Deus Servator non est, nec in Scripturis Servator appellatur: qui & omnes vult servari, 1. *Tim.* 11. 3, 4. & Christum ipsum servavit ex morte, *Hebr.* v. 7. & eidem omnem nos servand

vim dedit ac poteſtatem, *Ioan.* XVII. 2. *Actor* v. 31. Ad locum *Tit.* II. 13. de apparitione gloriæ magni Dei & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, jam reſpondimus, Arg. XXXIII. Sed ſolet noſter idem Argumenta ſæpius adferre, hoc nunc addimus, iſto ipſo loco, manifeſtum poni diſcrimen inter Magnum illum Deum, & Ieſum Chriſtum, dum docetur, ipſum quidem Ieſum Chriſtum appariturum; at magnum illum Deum, non ipſum, ſed tantum illius gloriam cum Chriſto; planè ipſius Chriſti verbis conformiter, qui ſe cum Patris ſui gloria venturum dixit, *Matth.* XVI. 27. Ex loco ad *Rom.* IX. 5. ubi Chriſtus dicitur eſſe, ſuper omnia, vel ſuper omnes, (nempe Patres, de quibus iſtic egit, & ex quibus Chriſtum ſecundum carnem ortum eſſe dixit,) Deus benedictus in ſæcula, Argum. XXXIV. formavit, & tamen hîc iterum idem repetit. Nos ne eadem redicendo Lectorem obtundamus, eò ipſum remittimus. Nam quod Chriſtus dicatur, benedictus in ſæcula, conſequens eſt neceſſarium, tantæ divinitatis, quam ſuper omnes ex Dei ſummi dono adeptus eſt. Remotis iis, quæ, & falſo in Minore de Chriſto aſſumuntur, & à nobis alibi re-

futata jam ſunt, ſolus Eſaiæ reſtat locus *Cap.* IX. 6. *Puer nobis natus eſt, & filius nobis datus eſt, & erit principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater ſæculi, Princeps pacis*, Conſtat apertè titulos iſtos dandos fuiſſe Puero ſeu filio Dei beneficio noſtrum omnium bene nato. Nego igitur titulorum iſtorum reſpectu Majorem Syllogiſmi. Quam multi enim hominum vocati ſunt Admirabiles viri? quam multi conſultiſſimi? quin titulus Conſiliarii eſt infra Summi illius Dei majeſtatem, quam multi in Scripturis, non jam de Angelis loquor, ſed de hominibus, appellantur Elohim, id eſt Dii? quam multi Elim, id eſt fortes? quibus nominibus hic uſus eſt Propheta, quam multi Regum appellati ſunt Patres Patriæ propter paternum erga ſubjectos affectum? neque enim arbitror dicet D. Opponens hic primam S. Trinitatis Perſonam deſignari, aut negare poterit de Chriſto hic tanquam de Rege agi. Nam & Principatus ſuper humerum ejus fore dicitur, cujus in ſigne ſceptrum erat, humeris Regum imponi ſolitum, & aperte Princeps vocatur, & ſuper Thronum Davidis & Regnum ejus ſeſſurus memoratur.

Vocatur

Vocatur autem Pater sæculi, (sic enim habet Hebraica veritas,) quod Regum illius futurum esset longævum ac diuturnum, quam multi denique vocati sunt, Principes pacis, id est Pacifici, quod abhorruerint à bellis, & populum suum in altissima rexerint pace? Hæc omnia certè literali, ut vocant, sensu, de Esechia prædicta, & in illo impleta fuerunt, impleta inquam, tanquam in Umbra, cujus solidissimum corpus Christus est, cui hæc omnia eminentissimè ac soliditissimè conveniunt. Hic verè Pater est sæculi nunquam finiendi, ut Christi respectu, rectè vox sæculi, æternitatis voce reddatur: hujus regnum, & istius regni pax, isto ipso loco, nunquam finienda, & ipse à modo usque in sæcula, regnum suum in judicio ac justitia stabiliturus dicitur. Author autem tantorum bonorum, & tanti Regis dator, quis? *Faciet hoc*, subjicit Propheta, *Zelus Domini Exercituum*. Ipsi igitur honor & gloria in Christo Iesu in sæcula sæculorum, Amen.

Cum progredi ultrà probando non potest; negat ullam ostendi posse personam, citrà principii petitionem, cui talia Scriptura tribuerit, quæ non sit unus ille Deus. Atqui ipse hoc dicendo principium petit; de isto enim

nunc tota inter nos controversia est. Nam quod alia præter Christum ostendi non possit ejusmodi persona, quid mirum? cum Christus, divinitatis suæ respectu, quam Patris dono habet, singularissima sit persona, & unus, post Deum, omnium Dominus, *Primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipse primatum tenens; quia complacuit Deo, ut in ipso omnem habitaret plenitudinem, & per ipsum reconciliaret omnia in seipsum*: Col. 1. 18, 19, 20. Denique in Minore asserit, Christo, etiam num Puero, tribui nomina ista, dicto Esaiæ loco. Atqui Propheta ipse, temporis distinctionem inter ista posuit, *Puer*, inquit, *natus est nobis, filius datus est nobis*: En Christi infantiam ac pueritiam. At de ipsius agens principatu ac nominibus; *Erit*, inquit, *principatus super humerum ejus, vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus*, &c. Erat quidem Christus in Regnum, & in tanta natus nomina; sed eorum usum ac possessionem justo demum tempore adeptus est. Fuerit enim infans iste & puer iste, Summus ille Deus; & Summus ille Deus infans ac puer, (horresco referens,) factus fuerit; tamen cùm hic Propheta de Christo tanquam de homine regnum populi divini adepturo

pturo

pturo loquatur, quis unquam ſanus, hominem infantem, fandi uſum habere, nedum regere imperio populos dixerit?

Suppeditat autem hic locus longè firmiora pro ſententia noſtra Argumenta. Cujus inter præſtantiæ ac divinitatis nomina non ponitur nomen ſummi Dei, is non eſt ſummus Deus; ſi enim eſſet, quid attineret alia ponere, hoc omittere, quod ſolum & unicum omnia alia continet eminentiſſime? alia potius omnia omitti deberent, hoc ſolum poni; ne dum ut aliis poſitis, hoc omitti? Inter Chriſti præſtantiæ ac divinitatis nomina, non ponitur nomen ſummi Dei, ut ex antedictis conſtat. Ergo, &c. Item; Qui ſeſſurus dicitur ſuper thronum & Regnum Davidis, ille negatur eſſe ſummus ille Deus: hic enim non ſedet ſuper ullius thronum & Regnum, ſed omnes omnium throni & regna ſunt ipſius & ab ipſo. Chriſtus ſeſſurus dicitur ſuper thronum & Regnum Davidis, hoc ipſo loco à Propheta. *Luc.* 1. 32, 33. ab Angelo. Ergo, &c. Humana Chriſti natura hic nullum aperit effugium; quæ, ſicut peculiarem perſonam, ſic neque peculiare regnum haberet, haberere poſſet, ve ab ipſius ſummi Dei regno.

Argumentum LIV.

Cui personæ simpliciter & absolutè tribuit Scriptura Nomen veri Dei; hæc est unus ille Deus. (Unde Sanctus Augustinus verba illa Christi apud S. *Ioan.* 17. *vers.* 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*; passim ita vertit; Unum verum Deum, cum μόνος tam sæpe significet unum, quam solum.) Christo simpliciter & absolute tribuit Scriptura nomen veri Dei: 1. *Ioan.* 5. in fine. Ergo Christus est ille Deus unus.

Responsio.

Negatur Minor. Nec probatur loco, 1. *Ioa.* v. 20. sicut Argum. vi. ostendimus.

Argumentum LV.

Non alius fuit Deus Israel tempore S. Thomæ, quam ille idem qui fuit temporibus David: quo tempore ei dicebatur, *Ps.* 80. *vers.* 9. *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens.* Sed temporibus S. Thomæ, Christus erat Dominus & Deus Israel: *Ioan.* 20. *vers.* 28. (Nec enim alium Deum coluit S. Thomas, quam Deum Israel.) Ergo Christus fuit ille idem

idem Deus Iſrael, qui fuit temporibus David: nempe Deus ille unus.

Reſponſio.

Hoc Argumentum idem eſt cum XXXII. proinde iſtinc petenda eſt Reſponſio. Chriſtus non eſt Deus recens, qui ante mundum conditum & ante tempora ſæcularia à Deo fuit præcognitus: 1. *Petr.* 1. 20. & dilectus, *Ioan.* XVII. 24. & ad gloriam hanc tantam deſtinatus, *verſ.* 5. & à multis retrò ſæculis Prophetarum oraculis prædictus ac celebratus: 1. *Pet.* 1. 10, 11. quanquam in ipſo fonte habetur, *alienus Deus*, *extraneus*, qui certè Chriſtus non eſt, ab ipſo ſummo & unico Deo divinitatem ſuam adeptus, ſeu (ut veteres locuti ſunt) Deus factus.

Argumentum LVI.

In cujus manu ſunt omnes fines terræ, ille eſt Deus magnus Iehova & Rex magnus ſuper omnes Deos: ait Pſaltes, *Pſal.* 94. *verſ.* 3. & 4. Chriſtus eſt ille, in cujus manu ſunt mones fines terræ: (nam ejus poſſeſſio eſt termini terræ:) *Pſal.* 2. *verſ.* 8. ille dominatur uſque ad terminos orbis terrarum: *Pſal.*

71. *verſ.* 8.) Ergo, &c. Jehova & Rex magnus ſuper omnes Deos.

Reſponſio.

Aliter in Dei, aliter in Chriſti manu ſunt omnes fines terræ: Deus tanquam omnium creator, omnia habet à ſeipſo; Chriſtus Dei dono, ut iſta ipſa quæ Dominus Opponens producit Scripturæ loca apertè docent, *Pſal.* II. 6. Dicit Deus de Chriſto, *Ego conſtitui Regem meum, ſuper Sion montem Sanctum meum.* Et ad Chriſtum, verſ. 8. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*: (id eſt, interprete Apoſtolo, à mortuis reſuſcitavi, Actor. XIII. 33.) *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* Itaque Argumentum hoc habet quatuor terminos: quod facilè eſſet retorquere in D. Opponentem, ſicut & alia omnia hujus generis. Quid enim attinuit Chriſto omnia donari à Deo, eumque omnium Regnorum Dominum ac hæredem conſtituti, ſi ipſe ſummus Deus erat?

Argumentum LVII.

Cujus paſcuæ oves ſumus, ipſe eſt Dominus

nus Deus noster: ait Psaltes, *Psal.* 94. *vers.* 7. Christus est ille, cujus pascuæ oves sumus: ut toto ferè capite decimo Euangelii S. Ioannis, & alibi sæpè docetur. Ergo Christus est Dominus Deus noster.

Responsio.

Iterum, imo ferè semper quatuor termini; sumus enim oves, & Dei, & Christi; Dei, tanquam jus dominii in nos & in omnia à se ipso habentis: Christi, tanquam ei, sicut & alia omnia, à Deo dati. *Omne quod dat mihi Pater*, inquit ipse, *venit ad me*: Ioan. VI. 39. *Pater meus qui dedit mihi*, nempè, oves meas, *major omnibus est*: X. 29. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi ex mundo, tui erant, & mihi eos dedisti*: XVII. 6. *Nunc cognoverunt, quod omnia quæ dedisti mihi, à te sunt*: vers. 7. *pro iis oro quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et omnia mea, tua sunt, & tua, mea*: vers. 9. 10. Idem dicit, vers. 11, 12, 24. *Ecce ego, & filii quos mihi dedit Deus*: Hebr. 11. 13. Nimirum hoc illud est, quod se facturum Deus promiserat, *Et suscitabo super oves meas Pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David*, (id est Christum) *ille pascet eas, & ille*

Paſtor earum erit. Et ego Dominus, ero Deus illorum; & ſervus meus David, erit princeps in medio illorum. Ego Dominus locutus ſum: Ezech. XXXIV. 23, 24. *Et erunt populus meus, & Ego ero Deus illorum: & ſervus meus David, erit Rex ſuper illos; & Paſtorem unum omnes habebunt*: Cap. XXXVII. 23, 24, 25.

Argumentum. LVIII.

Qui illa verba *Pſal.* 94. *verſ.* 10. dixit, *Quadraginta annis proximus fui*, &c. *quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requien meam*, ille eſt Iehova Deus noſter. Chriſtus eſt qui verba illa dicit, teſte S. Paulo, ad *Hebr.* 4. *verſ.* 8, 9, 10. Ergo Chriſtus eſt Iehova Deus noſter.

Reſponſio.

Negatur Minor, nec loco allegato probatur, in quo verba iſta citantur tanquam ipſius Dei, non tanquam Chriſti.

Argumentum LIX.

Ille cui, *Pſal.* 67. *verſ.* 19. capit David; *Aſcendiſti in altum*, &c. eſt Iehova. Chriſtus eſt ille, cui ea verba canit David, teſte Apoſtolo,

ſtolo, *Epheſ.* 4. *verſ.* 8. Ergo Chriſtus eſt Iehova.

Reſponſio.

Quatuor & hic ſunt termini. Utrique enim hoc cecinit in Spiritu David, & Deo, & Chriſto, ſenſu myſtico: Deo, tanquam victoriæ & triumphi Chriſti authori; Chriſto tanquam divina virtute, ex morte & devictis hoſtibus triumphanti.

Argumentum LX.

Ille qui eſt Iudex omnium, eſt ille Deus: *Hebr.* 12. *verſ.* 23. Chriſtus eſt Iudex omnium, teſtibus omnibus Euangeliſtis. Ergo Chriſtus eſt ille Deus.

Reſponſio.

Deus eſt Iudex omnium, tanquam primus & ſummus Iudicii iſtus Author; Chriſtus tanquam Iudex omnium, ab ipſo conſtitutus: Actor. x. 42. & xvii. 3. *Conſtituit Deus diem, in qua judicaturus eſt Orbem terrarum in juſtitia, per virum, quem definivit; fidem præbens omnibus, ſuſcitato eo ex mortuis.* Sunt igitur & hic, ut ſolent, quatuor termini.

Argumentum LXI.

Quem energumenus à Christo sanatus, *Luc.* 8. *vers.* 39. ab ipso Domino Iesu didicit esse Deum, hic est ille unus Deus. Iesum esse Deum didicit energumenus ab eo sanatus: ibidem. Ergo Iesus est ille Deus.

Responsio.

Negatur Minor. Energumenus contrarium à Domino Iesu didicit; nempè non se, sed Deum esse istorum quæ in ipso sanando facta erant Authorem: *Luc.* VIII. 39. Nec refert quod sanatus iste prædicaverit Iesum ista sibi fecisse. Utrumque enim verum erat, & Deum ista fecisse, & Iesum. Deum, qui tantam virtutem Iesu dederat; Iesum, qui ea ad sanandum istum hominem usus fuerat, ut se à Deo missum esse doceret.

Itaque hoc ipso Argumento oppugnamus Oppugnatorem. Qui suorum divinorum operum, non se, sed Deum facit authorem, is se negat esse summum Deum. Christus id facit, & hoc loco, & aliis; cum opera sua, Patris sui dicit esse opera, cùm se à se ipso quidquam negat posse facere: *Ioan.* V. 19, 30. & X. 32, 37

x. 32, 37. *&* XIV. 10. Apostolus Petrus ibidem, causam tantorum operum à Christo patratorum, hanc assignat, quod Deus eum unxerit Spiritu S. ac virtute, quodque cum ipso Deus ille summus fuerit: *Actor.* x. 38. idem & Nicodemus facit, *Ioan.* III. 2. Ergo, &c. Item, Qui ex Divinis suis operibus se à Deo missum esse docet, is se negat esse ipsum summum Deum. Innuit enim se ea facere non posse, nisi à Deo missus esset. Nam si posset, (posset autem si ipse summus Deus esset,) argumentum ab operibus divinis, ad missionem divinam, esset invalidum. Et cur se à Deo missum esse doceret, si se ipsum summum Deum esse docere poterat? Christus ex operibus divinis, se à Deo missum esse docet: *Ioan.* v. 36. *&* xv. 21, 22. & sæpè alibi. Ergo, &c.

Argumentum LXII.

Ille qui est ad judicandum mundum venturus, cum omnibus Sanctis suis, est Jehova exercituum: *Ioel.* 2. *vers.* 31. & *Cap.* 3. *vers.* 2. & 15. *Zach.* 14. *vers.* 5. *Isai.* 66. *vers.* 15. & 16. *Psal.* 49. *vers.* 3. & sequentibus. Christus est ille, qui ad judicandum mundum venturus

 est,

est, cum omnibus Sanctis suis: testibus omnibus Euangelistis; & Symbolo Apostolico. Ergo Christus Dominus est Iehova exercituum. Confirmatur: Ante cujus adventum ad judicium Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum; ille est Iehova Exercituum: *Ezech.* 32. *vers.* 7. *Isa.* 13. *vers.* 9. & 10. Ioel locis citatis. Christus est ille, ante cujus adventum ad judicium, hæc fient: *Matth.* 24. *vers.* 29. *Mar.* 13. *vers.* 24. *Luc* 21. *vers.* 25. *Apoc.* 6. *vers.* 12. Ergo Christus Dominus est Iehova exercituum. Confirmatur secundò. Cujus adventum ad judicium, ignis & mundi combustio præcedet; hic est Iehova, ut Prophetæ citati testantur. Christus est is, cujus adventum, ignis & mundi combustio præcedet, 2 *Petr.* 3. *vers* 7. & 12. Ergo Christus est Iehova.

Responsio.

Non debebat tam cito, & uno tantum interposito argumento, sui oblivisci D. Opponens. Hoc enim Argumentum, idem est cum LX. quid enim aliud est, ad judicandum mundum venturum esse cum omnibus Sanctis suis, quàm esse judicem omnium? Relabitur

ſemper in idem vitium D. Opponens quatuor terminorum. Aliter enim Deus ad judicandum mundum venturus eſt, aliter Chriſtus; Deus in Chriſto, vel per Chriſtum: *Rom.* 11. 16. Chriſtus tanquam Iudex ab ipſo conſtitutus, & accepta ab ipſo humani generis judicandi poteſtate, quia filius hominis eſt: *Ioan.* v. 27. Eadem diſtinctione, & confirmationes Argumenti cadunt.

Argumentum XLIII. LX

Ille qui *Zach.* 14. *verſ.* 9. dicitur futurus Rex ſuper omnem terram; eſt Iehova Exercituum, uti ibidem ſcribitur, *verſ.* 16. *&* 17. Chriſtus autem regnaturus eſt ſuper omnem terram; *Pſal.* 2. 8. *&* 71, 8. Ergo Chriſtus eſt Iehova Exercituum.

Reſponſio.

Hoc Argumentum eadem diſtinctione tollitur. Deus enim futurus prædicebatur Rex, ſuper omnem terram, quatenus in Chriſto & per Chriſtum regnaturus erat. Chriſtus enim eſt Rex ſuper omnem terram, ſed à Deo in Regem unctus, (ut ipſum Chriſti nomen docet,) & exaltatus, *Pſal.* 11. 6. *Phil.* 11. 9.

Argumentum L X IV.

Ille qui, *Isai.* 45. *vers.* 23. loquitur verba illa, *Ego Deus, & non est alius: in memet ipso juravi, quia mihi curvabitur omne genu*; est Deus ille unus. Christus est qui verba illa loquitur: teste S. Paulo, *Rom.* 14. *vers.* 11. Ergo Christus est Deus ille unus. Minor patet, ex contextu verborum Apostoli. Nam ille ante cujus stabimus tribunal, loquitur verba illa, *Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectitur omne genu*; quod addita particula *enim* efficaciter probat. Sed ante Christi stabimus tribunal: ut ibidem loquitur Apostolus. Ergo Christus est Deus ille unus. Confirmatur. Cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, hic sibi curvandum omne genu prædixit. Christus est cui flectitur omne genu: *Phil.* 2. *vers.* 10. Ergo Christus est qui sibi curvandum omne genu prædixit, & consequenter est Deus ille præter quem non est alius.

Responsio.

Negatur Minor, neque Pauli probatur testimonio. Tribunal enim Christi, est Tribu-

ral ipsius Dei, non quòd Christus sit ipse Deus, sed quod Deus illius sit Author, & Christum in eo collocaverit. Sic & Deo flectitur omne genu, tanquam Ultimo istius honoris scopo, & tanquam ei qui Christum exaltavit; Christo, tanquam à Deo suprà omnes exaltato, in Dei gloriam: *Philip.* II. 9, 10. Ubique D. Opponens & se ipsum decipit, & alios decipere conatur quatuor terminis, id est vocabulorum similitudine, rerum diversitate.

Argumentum LXV.

De quo sunt dicta illa verba, *Adorent eum omnes Angeli ejus*; Psal. 96. vers. 8. ille est Iehova, Altissimus exaltatus super omnes Deos de Christo sunt dicta verba illa teste Apostolo, *Hebr.* I. *vers.* 6. Ergo Christus est Iehova Altissimus, &c.

Responsio.

Idem vitium istius Syllogismi, quod omnium. De Deo enim ista verba sunt dicta, tanquam de eo qui in Christo adoratur; de Christo, tanquam de eo, in quo Deus adoratur. Apparet autem hæc Psalmi verba, quæ in textu

Hebraico sic leguntur, *Et adorent eum omnes Dii*, ab Hebræis subordinatè de Davide fuisse intellecta, ut cùm illi Divina potentia, (quæ in superioribus describitur,) terra esset restituta, (sicut Psalmi istius Græca inscriptio habet, ad quam D. Author respexit,) omnes eum, & in ipso Deum circumquaque Reges, (Dii in Scripturis vocati,) adorarent: quod in Christo plenissimum habuit sensum, in cælestis Regni possessionem inducto, non à Diis tantum terrenis, sed etiam à cælestibus, id est ab Angelis, (sicut Græca versio habet, quam D. Author sequi solet,) adorato & adorando. Atque hoc cum audiret Sion, magna voluptate perfusus est, ut statim additur, *vers.* 8. Utraque autem, tàm Davidis, quàm Christi adoratio, ad Deum tantorum bonorum largitorem referebatur, & in illo conquiescebat.

Argumentum LXVI.

Ille qui *Zach.* 12. *vers.* 10. loquitur illa verba; *Aspicient ad me in quem confixerunt*; est Iehova exercituum, & Deus Israel: ut patet ex illo toto capite. Christus est ille qui apud Zachariam verba illa loquitur: teste S. Ioanne *cap.* 19. *vers.* 37. & clarius *Apocal.* 1. *vers.* 7.

verſ. 7. Ergo Chriſtus eſt Iehova exercituum, &c.

Reſponſio.

Negatur Minor. Neque *Ioan.*xix. 37. & *Apoc.* 1. 7. Chriſtum verba iſta apud Zachariam dixiſſe aſſeritur: ſed tantum oſtenditur in Chriſto, & Deum, tanquam Patrem in Filio, confixum fuiſſe; & ſuo tempore viſum iri, tanquam in expreſſa divinæ Majeſtatis imagine, Hebr. 1, 3. *Qui tangit vos*, dixit aliquando Angelus de populo Dei, *tangit pupillam oculi ejus*, Zach. 11. 8. quanto magis qui Chriſtum confixerunt, Deum ipſum confixiſſe dicendi ſunt: Nam & Saulo (qui poſt Paulus,) Chriſtus objecit, quod ſe perſequeretur, perſequendo ipſius diſcipulos: *Actor.*ix. 4, 5. Etiam beneficia ſuis exhibita, ſibi imputari vult Chriſtus: *Matth.* xxv. 40.

Argumentum LXVII.

Ille cui in ſolio ſedenti, ſpectante Eſaia, canebant Seraphin; *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Exercituum*; Eſai. 6. 3. eſt Deus ille unus. Chriſtus eſt ille, cui in ſolio ſedenti, ſpectante Eſaia, canebant Seraphin; teſte

S. Ioanne *cap.* 12. *verſ.* 40. quando vidit gloriam ejus, &c. & Apoc 4. *verſ.* 8. (ubi patet ſermonem eſſe non de ſolo Patre; ſed etiam de Filio, ex illis verbis, *qui venturus eſt: & qui eſt vivens in ſecula ſeculorum.* Venturus enim non alius eſt quam Chriſtus: & viventem in ſecula ſeculorum, ſeipſummet, appellat Chriſtus: A*poc.* 1. *verſ.* 18.) Ergo Chriſtus Dominus eſt Iehova exercituum & Deus Iſrael.

Reſponſio.

Negatur Minor. Neque locis allegatis probatur. Nam *Ioan.* XII. 41. pronomina *ejus, eo*, ad Deum referri poſſunt, *verſ.* proximo deſignatum; & ut ad Chriſtum longè ante, *verſ.* 36. nominatum, referantur, non dicit Ioannes Chriſtum fuiſſe illum cui in Solio ſedenti Eſaia ſpectante Seraphin canebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. ſed tantum, Eſaiam tum vidiſſe Chriſti gloriam, & de Chriſto locutum fuiſſe. Meritò. Viſio enim iſta, ſicut & alia vaticinia, in futurum tempus ſpectavit, nempè Chriſti, ſenſu pleno & perfecto. Tum demum enim Deus, verè in ſublimi ſolio conſedit, id eſt Majeſtatem ſuam cunctis Gentibus patefecit; tum demum illius glorià, repleta

pleta eſt univerſa terra; Tum demum & Seraphin peculiare triſhagion Deo canere cœperunt, cum Chriſtum ex mortuis reſuſcitatum, à dextris ſuis ſedere fecit, cùm pedibus ejus cuncta ſubjecit, cùm per eum Gentes ad ſe convertit, & Judæos ſic commeritos induravit ac rejecit (qua de re iſtic agitur, *verſ.* 3, 9, 10. & ſeqq.) cùm per eundem omnia condidit ac reconcilivit quæ ſunt in cælo, & quæ in terra. Tum demum enim Principatibus ac Poteſtatibus, in ſupercæleſtibus, nota facta eſt, per Eccleſiam, ex variis gentibus collectam, multiformis illa Dei ſapientia, quam à ſeculis apud ſe conſtitutam, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum demum in effectum, & in apertum produxit: *Epheſ.* III. 10, 11. Hanc tantam Dei gloriam cùm in Spiritu videret Propheta, meritò ipſius Chriſti gloriam tum vidiſſe, & de Chriſto locutus fuiſſe, à Ioanne dicitur. Chriſtus enim ejuſque gloria, ita Dei gloriæ annectitur, tanquam medium, ſuo fini.

Apoc. IV. 8. Deus eſt, non Chriſtus, cui triſagion iſtud canitur. Nec dum enim in hac viſione ulla de Agno facta fuerat mentio. Nam participium *venturus*, ſeu potius

veniens, ὁ ἐρχόμενος, non adventum ad judicium significat, sed temporis distinctionem continet. Describitur enim Dei duratio sempiterna, triplici distinctione temporis, & præteriti, *qui erat*, & præsentis, *qui est*, futuri, *qui veniens est*, id est, nunquam interrupta duratione sui præsentiam & existentiam continuaturus ac perpetuaturus est; quod vox futuri non satis exprimit, cum & illa, imò hæc sola propriè futura dicantur, quæ nondum sunt, aut esse desierunt, iterum exoritura; quod ut vitaret divinus Spiritus, venientem esse dicere maluit Deum, (nam & tempus ipsum venire dicitur,) quàm futurum esse. Hoc sensu omnes temporis differentiæ inter se aptè cohærent: at si venientis vocem de adventu ad judicium intelligas, dissona erit & hians oratio. Ex eo quòd Christus vivere se in secula seculorum dixit. *Apoc.* 1, 18. & quòd sedens super thronum, vivens in secula seculorum appelletur, quale ducatur Argumentum, ad concludendum sedentem super thronum esse Christum, ostendimus in Responsione ad Argum. VII. ubi idem ursit D. Opponens; Nempè, Argumentum, vel quatuor terminorum in prima; vel purarum affir-

affirmantium in ſecunda figura; vel quod idem eſt, Majore particulari, in prima.

Argumentum LXVIII.

Quæ perſona effudit Spiritum S. ſuper omnem carnem, eſt Jehova: *Ioel.* 2. *verſ.* 28. & *Eſai.* 44. *verſ.* 3. Chriſtus eſt illa perſona: *Actor.* 2. *verſ.* 33. *Luc.* 24. *verſ.* 49. Ergo Chriſtus eſt Iehova.

Reſponſio.

Redit ad ſuos quatuor terminos D. Opponens. Summus Deus Spiritum Sanctum effudit, ſed per Chriſtum: *Tit.* III. 5, 6. Chriſtus, eundem effudit ſed à Patre acceptum, *Actor.* 11. *verſ.* 33.

Argumentum LXIX.

Cujus Regnum ab Apoſtolis, ante guſtatam mortem, viſum iri prædixit Chriſtus: *Luc.* 9. *verſ.* 27. hic eſt ille Deus, &c. Chriſtus eſt ille ipſe: teſte S. Matth. *cap.* 16. verſu ultimo. Ergo Chriſtus eſt ille Deus.

Reſponſio.

In eoſdem ſemper relabitur quatuor termi-

narum

narum Paralogismos. Regnum enim quoad Christus ab Apostolis ante gustatam mortem visum iri prædixit, & Dei erat Regnum, & Christi; Dei, tanquam illius Authoris; Christi, tanquam illo à Deo affecti.

Argumentum LXX.

Rex Regum & Dominus Dominantium, est unus ille Deus; 1.*Tim.*VI. *vers.* 15. Christus est Rex Regum, & Dominus Dominantium: *Apoc.* 1.*vers.* 5. & *cap.* 17.*vers.* 14. & *cap.* 19.*vers.* 16. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Deus est Rex Regum, à se ipso; Christus Dei dono: *Dan.*VII. 13, 14. qui idcirco, Deus, & Caput Christi appellatur; & sicut omnia dicuntur esse Christi, sic Christus dicitur esse Dei: 1.*Cor.*III. 23. & XI. 3. *Eph.* 1. 17. & alibi.

Argumentum LXXI.

Si Christus non est Deus ille unus, deberet esse aliquis verus & vivus Deus, qui esset præter illum unum Deum. Sed nullus est Deus verus & vivus, præter illum unum Deum:

3. *Reg* 8. *verſ.* 60. *Deut.* 4. *verſ.* 35. *Mar.* 12. *verſ.* 32. Ergo Chriſtus eſt ille unus Deus.

Reſponſio.

Deus verus & vivus, dupliciter dicitur, vel κατ' ἐξοχὴν & abſolutè, qui ſcilicet à ſe ipſo talis eſt, & omnis divinitatis ac vitæ fons eſt, vel participativè, qui ab ipſo divinitatem accepit. Priore ſenſu, negatur Majoris conſequentia: poſteriore ſenſu, Negatur Minor; nec locis allegatis probatur, quæ nunc unum & ſolum eſſe Deum dicunt, qui à ſe ipſo Deus eſt, & à quo ſunt omnes, qui verè ſunt Dii.

Argumentum LXXII.

Si Chriſtus eſt Deus ſubordinatus Deo Patri, ponendus eſſet, in eorum numero, quibus dicitur *Pſal.* 81. *verſ.* 5. *Ego dixi dii eſtis*, vel de quibus dicitur 1. *Cor.* 8. *verſ.* 6. *Sunt Dii multi.* Sed inter neutros poteſt poni Chriſtus. Ergo non eſt Deus ſubordinatus, ſed unus cum Patre. Minor probatur. Quia illis dicitur *vos dii eſtis*, de quibus ſupra dicitur, *neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, &c. & de iis dicitur; *ſunt dii multi, & Domini multi*, quibus æque opponitur, Dominus per quem

omnia,

omnia, atque Pater ex quo omnia. Ergo Christus inter neutros poni potest.

Responsio.

Si per vocem, subordinati, intelligitur subjectus; conceditur Christum non esse Deum subordinatum; quippè cui Deus ita omnia subjecerit, ut ipsum in eodem secum throno, idque à dextris suis collocaverit. Ideo & scriptum est, quando ei, nempè Christo, subjecta fuerint omnia, abolitis nimirum omnibus inimicis, ipsaque morte, *tunc & ipse Filius subjicietur* ὑποταγήσεται (propriè, subordinabitur,) *ei qui subjecit* (τῷ ὑποτάξαντι, qui subordinavit) *ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. Si verò subordinati vox, hactenus tantùm ad Christum applicetur, quatenus divinitatem suam, sicut & omnes alii, à Deo accepit, concedimus Christum, hactenus, in eorum numero Deorum ponendum esse, quos Scriptura, (quæ solvi non potest,) ex suo sensu Deos appellat, & quorum respectu unum illum Deum, altissimum, & Deorum Deum nominare consuevit. Quæ affert probandæ minori, fallaciam continent à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Neque

que enim Christus in numerum eorum quibus dictum est, *vos Dii estis*, hactenus referendus est, quatenus illi sua potestate sunt abusi, aut quatenus *nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, &c. vel etiam, quatenus illis ibidem dicitur, *sicut homines moriemini*; sed quatenus & ipse Christus Deum divinitatis suæ habet & agnoscit Authorem. Neque etiam Christus, multis illis Diis, quos verè esse docet Paulus, & multis Dominis, quos ibidem verè esse nemo sanus dubitat, hactenus, tanquam unus Dominus opponitur, seu verius, ab illis excipitur, quasi & ipse divinitatem & dominationem omnem à Deo non acceperit: sed quatenus omnium istorum Deorum & Dominorum, Dominus à Deo est factus, & ipse solus, post Deum, divino cultu ab omnibus est afficiendus sicut nec Deus ipse ex numero Deorum excipitur, quatenus Deus est, sed quatenus solus à se ipso Deus est, & cæteris omnibus, divinitatis Author est: proinde & solus divino cultu ita colendus, ut præter illius voluntatem quenquam alium colere sit nefas.

Ex hoc tam illustri Pauli loco, 1. *Cor.* VIII. 6. beundum non est, quin ex eo, unum atque

alterum, solidissimum pro veritate Argumentum, D. Opponenti, vicissim opponamus. 1. Unus Christianorum Deus, est Pater ille ex quo omnia: verba sunt Apostoli, 1. *Corint.* VIII. 6. Christus non est Pater ille ex quo omnia; Est enim ejus Filius. Ergo, &c. Frustra dixeris, non addi vocem solius ad vocem Patris. Nam 1. sive solus Pater prædicetur de uno Deo, sive non solus, dum modo prædicetur, Argumentum firmiter concludit. 2. Etiamsi vox solius ad Patris vocem expressè non addatur; tamen addita intelligitur. Si enim unus Deus latius pateret quàm Pater, vitiosum esset Pauli pronunciatum, ad declarandum unum Deum, apponentis prædicatum angustius. Neque ullus unquam sanus aliter locutus est, quàm ut positum, exhauriret per appositum. Sic dixerit aliquis, inter innumera hujus generis: Unus est Deus creator cæli & terræ; Unus est Dei Filius, Iesus Christus; Unus est Dei & hominum Mediator, homo Christus Iesus; Una est virgo Mater, Maria quæ Christum peperit; Unus est Rex Polonorum, Ioannes Casimirus; Unum est animal rationale, Homo, &c. Addè, quod unus Deus, individuum sit singularissimum, ideò latius

latius patere non poteſt appoſito ſimiliter ſingulariſſimo, id eſt Patre. Alioquin enim dici poſſet ac deberet, Aliquis unus Deus eſt Pater, quod implicat contradictionem; Vnus enim non eſſet unus. Itaque cum Apoſtolus dicit, *Vnus eſt Deus, Pater*, perinde eſt, atque ſi dixiſſet, ſolus Pater eſt unus Deus; aut, unus Deus, eſt ſolus Pater. Neque etiam novo quorundam & Scripturæ penitus ignoto invento dixeris (quid enim non excogitant homines, ne veritati credere cogantur?) Patrem hic poni non perſonaliter, ſed eſſentialiter, pro omnibus tribus perſonis. Hoc enim ne alia nunc afferam, falſum eſſe docet, diſtincta, quæ additur, ſolius Jeſu Chriſti commemoratio. II. Chriſtus eſt unus Dominus, ab illo uno Deo diſtinctus. Ergo non eſt ſummus ille Deus. Probatur Minor. (Nam Major per ſe patet quorſum enim ſummus Deus eſſet ſimul & Dominus à ſe ipſo deſtinctus?) 1. quia Paulus diſtinctè unum Dominum, ab uno Deo ponit; *Nobis*, inquit, *unus Deus*; eoque nominato ac definito, addit, *& unus Dominus*; quem itidem nominat atque deſcribit. 2. quia diſtinctam & diverſam utriuſque deſcriptionem affert; illum nominat

Patrem, hunc Iesum Christum; illum, dicit esse, *ex quo omnia*; hunc, *per quem omnia*; illum nostri finem ultimum statuit; hunc, medium, per quem feramur & referamur in Deum. 3. quia cum unum esse Deum dixisset, Patrem, non aliam ob causam Iesum Christum, non Deum nominat, sed Dominum, voce minus augusta, quàm ne videretur sibi contrarius esse, & alterum Deum inducere: cujus rei periculum non erat, si Iesus Christus distinctus à Deo Dominus non esset. 4. quia si per unum Deum & unum Dominum, unus idemque intelligeretur, inanis redictio & insolita loquendi ratio in Pauli verba inveheretur. quis enim, cum dicere vellet, vel deberet, unum esse, sive Deum nominare malit, sive Dominum, sive utrumque, Patrem, Iesum Christum, & Spiritum S. hoc pacto loqueretur, quo pacto lucutus est Apostolus? omisso etiam insuper Spiritu Sancto? 5. quia & alibi ubique Deus ille unus, ab uno Domino, Iesu Christo, distinguitur. Inter plurima vide, *Ephes.* IV. 6. ubi non tantum unus Dominus ab uno Deo, interpositis etiam rebus aliis distinguitur; sed etiam unus ille Deus, Patris omnium nomine similiter describitur.

6. quia

6. quia datur unus Dominus, ab uno Deo distinctus, nempè is ipse Iesus Christus, homo, quatenus propter obedientiam ad mortem, eamquè crucis, à Deo est à mortuis resuscitatus, & suprà omnes adeò exaltatus, ut omnium Dominus, & Caput Ecclesiæ, sit effectus, & à dextris Dei in supercælestibus collocatus, *Philip.* II. 8, 9. *Ephes.* I. 20, 21. & seqq. *Actor.* II. 36. Hæc oppidò adeò sunt clara, adeò solida, ut qui iis refragetur ac repugnet, ipsi veritati bellum videatur indixisse, & oculos de industria, ne ullam lucis stricturam excipiant, occlusisse.

Argumentum LXXIII.

Si Christus solum ob potestatem sibi à Deo datam, diceretur Deus; sequeretur quod eandem specie Deitarem haberet, cum ea quàm habuere omnes etiam scelestissimi Reges: v. g. Sardanapali: Caligulæ: Nerones: Heliogabali; & nunc habent Turcarum vel Tartarorum Imperatores: & cum ea quam habuere fæminæ dominantes; v. g. Semiramis, Tomyris, Jesabel; & quam habere ipsos dæmones testatur *Iob.* 41. *vers.* 24. & 25. & quos ipsimet adversarii fatentur esse. Prin-

cipes aëris, non minus intellectos per principatus & potestates, quàm bonos Angelos. Consequens est blasphemum. Ergo Christus non solum est ob potestatem sibi datam, Deus; sed etiam, & quidem multo magis, ob Naturam Divinam. Neque obstat, quod Christus sit super omnes tales Deos: ut enim non verius est homo, Rex Hispaniæ, quam quicumque mendiculus, vel rusticellus, illi subditus; ita Christus, si talem specie habet Deitatem, qualem habent Turcæ, Tartari, Dæmones, &c. non est verior Deus illis, etsi sit eis superior: quod tamen blasphemum est.

Responsio.

1. Non Argumentum hoc est, sed cavillus, ad invidiam veritati conciliandam quæsitus, viro docto & gravi haudquaquam dignus. Cur enim non bonos potius Reges & angelos producit, aut saltem Reges & Angelos in genere; sed ex Regibus, scelestissimos & Monstra hominum verius, quam homines, & ex Angelis, Dæmones commemorat, quasi scelestum esse, & Dæmonem esse, quidquam ad naturam potestatis pertineat; aut ipsa per se potestas mala sit & damnabilis, quod is qui ea pollet,

pollet, ſceleſtus ſit ac deteſtabilis. Sed 1. non negat ipſe, Chriſtum, etiam ob poteſtatem ſibi à Deo datam, dici Deum; ſed negat ob ſolam. Si igitur Argumentum hoc illius ritè concluſum eſt, ſequetur Chriſtum hactenus eandem Specie Deitatem habere cum ſcéleſtiſſimis Regibus & cum ipſis Dæmonibus, quatenus ob poteſtatem à Deo ſibi datam Deus eſt. An vero quadamtenus blaſphemare licebit? aut ſit nullatenus hoc blaſphemum eſt; quid illud tanquam blaſphemum urget D. Opponens? Reſpondeat ipſe ſibi, & quod ſibi reſponderit, hoc à nobis reſponſum putet. II. Ignorat Elenchum D. Opponens. Fatemur enim, Chriſtum, non ſolum ob poteſtatem ſibi à Deo datam; ſed ſimul etiam ob naturam divinam, tantæ poteſtatis capacem, Deum eſſe. Nam cum Chriſtus immenſam adeptus ſit & poteſtatem, & Sapientiam, & virtutem, neceſſe eſt ut & omnium excellentiſſimam, & ipſius ſummi Dei naturæ ſimillimam obtinuerit, Dei beneficio, naturam. Sed cum & Dæmones eandem quam in creatione acceperunt, id eſt, immortalem & Spiritualem retineant etiamnum naturam, videat ne nos iterum, aut potius ſe ipſum, in blaſphe-

miam præcipitet, adeò excellentem & in hoc divinæ ſimilem Dæmonibus tribuendo naturam. An blaſphemum eſſe negabit, ſimilitudinem hanc & convenientiam extendere ad ea quæ in Dæmonibus à Deo ſunt bona & eximia? Sanè alioquin enim negandum foret, Deum & Chriſtum eſſe, quia Dæmones ſint, vivere, quia Dæmones vivant; Spiritum eſſe, quia & illi Spiritus ſunt; principatum ac poteſtatem habere, quia & inter Dæmones ſint principatus ac poteſtates; & multa alia, quæ Deus communicata voluit etiam Dæmonibus, illa non à Deo tantum & Chriſto, ſed etiam à Sanctis Angelis, & hominibus longè arcenda ſunt, quæ ſive in Dæmonibus, ſive in hominibus, mala ſunt & deteſtanda, non ea quæ Deum ipſum habent authorem, & ab ipſo ſunt condita. Omnia enim hactenus bona ſunt, quatenus à Deo facta ſunt. III. Negamus conſequentiam Majoris. Nam 1. quatenus iſti Reges, ſceleſti fuerunt, & Deo adverſantur, quatenus & Dæmones mali ſunt, & à Deo deſciverunt, hactenus Deorum nomine indignos ſeſe reddiderunt, nec pro Diis, ſed pro tyrannis, & poteſtatis iſtius uſurpatoribus cenſendi ſunt. Deorum enim nomen,

Sanctum

Sanctum est, salutare, beneficum, bonum, beatum. 2. quod ad homines attinet, Christi potestas eadem Specie cum hominum potestate non est, proindè nec Deitas. Hominum enim potestas, est carnalis, Christi spiritualis; illorum potestas terrena, Christi cælestis; illorum in corpora tantum, Christi etiam in animos. Hinc & ipse Christus, Regnum suum negavit esse ex hoc mundo, id est istius generis, nedum speciei, cujus sunt Regna mundi. quod verò attinet ad Angelos, similiter genere differt Christi potestas, proindè & Deitas, ab Angelorum potestate. Angeli circumscriptam habent potestatem; Christi potestas tam latè patet, quàm latè patent omnia. Angeli Christo subsunt; Christus nemini. Angelorum potestas non est conjuncta cum omniscientia, etiam mentium & cogitationum humanarum, itemque cum omnipotentia & omnipræsentia; At Christi potestas, cum his omnibus est conjuncta; adeò ut Angelorum potestas, cum Christi potestate, in generalissimo quodam genere conveniat; Nempè in eo, quod utraque à Deo accepta sit: Sed & ipsius summi Dei potestas cum creaturarum potestate, in generalissimo

potestatis genere convenit. Quanto verò potestas quæ Deitatis rationem constituit, Major est ac perfectior, tantò & Deitatem majorem ac perfectiorem esse necesse est, proindè & veriorem; maximam verò ac verissimam, in potestate omnium maxima & perfectissima. Rex Hispaniæ non verius est homo, quam quivis mendicus, quia Regem esse, ad hominis naturam non pertinet, nec in hominis natura per se dantur ulli perfectionis gradus; ut potestas, de qua agimus, ac naturam & rationem Deitatis pertinet, & gradus recipit; proindè, quanto quis potestate ista superior, tantò & Deitate verior. Hoc, in eadem specie Deitatis locum haberet; quantò magis in Specie ac genere diversâ, qualem Christi esse ostendimus.

at
a ad

Argumentum LXXIV.

Si Christus Dominus esset Deus subordinatus, & beneficiarius, tam merito ei negaretur honor Divinus, quam meritò eum negavit Mardochæus Amano: (etsi Deo subordinato, & beneficiario: & quidem juxta Polytheitas) tam verò, quam verus Deus est Christus, ne scilicet honor Dei transferretur ad hominem;

minem; *Esther.* 13. verſ. 13. At Chriſto Domino non poteſt ſine ſcelere negari honor Divinus. Ergo Chriſtus non eſt Deus ſubordinatus, ſed ſummus; nec beneficiarius, ſed genitus & naturalis; per generationem ex Patre, habens unum Eſſe cum Patre.

Reſponſio.

En quo res devenerit, ut Chriſtus Dei, Amano, homini impuriſſimo, & populi Dei exterminatori, conferatur; homini, quem ex ſummo faſtu & ſuperbia Deus egit in crucem, is quem ex ſumma humilitate & crucis patientia, ad cæleſtem evexit Majeſtatem! ſed quid mirum Amano Chriſtum exæquari, quem modo cum Dæmonibus ipſis componi vidimus? Audit veró hæc videtque Filius ille hominis, rationem omnis verbi mali ſuo tempore exacturus! Antequam ad Argumentum reſpondeamus, dicat quem honorem divini honoris nomine intelligat. an ut aliquem habeas & agnoſcas pro ſupremo & independenti rerum omnium auctore, & ut talem omni veneratione proſequaris? Si hunc honorem intelligit, totum Argumentum falſum eſt: Nam nec Amano unquam in mentem venit,

ut

ut talem ſui cultum exigeret, aut Regi ejus ut eum juberet; neque Chriſtus tali cultu vult affici, & à ſuis veris cultoribus afficitur. Colitur enim non ut ſummus ille Deus, ſed ut illius Filius, & unicus omnium Dominus ab ipſo conſtitutus, omni cultu ipſius in Dei gloriam redundante; quem igitur divinum honorem intelligemus Amano à Mardochæo, Deï cultore, denegatum, ne honor Dei tranſferretur ad hominem? Illum, opinor, quem ipſi exhiberi Rex præcepit, ut ſcilicet eò prodeunte in publicum, ad illius conſpectum omnes procumberent: *Eſther*.III. 2. Hic divinus eſt cultus. Si enim Deus conſpiciendum ſe præberet, tali cultu afficiendus eſſet. hinc & qui Numina in ſimulachris venerantur, ad conſpectum eorum ſolent procumbere. Talem cultum Mardochæus merito menriò denegavit homini mortali, in quo nulla alia quàm humana & ab homine collata poteſtas apparuit. Hic tu mihi ex adverſo Chriſtum cogita, divino illo Spiritu ac virtute, ventis & fluctibus maris, morbis omnibus, morti, ac Dæmonibus imperantem, ab ipſa natura cæcis viſum, & claudis greſſum ac ſaliendi vires tribuentem; omnia verbo ac juſſu ſuo, pro arbitrio moven-

moventem, corda & cogitationes hominum introſpicientem, peccatorum reatu homines ſolventem; huic tu tam meritò cultum coram ipſo procumbendi denegares, quam merito eum denegavit Mardochæus Amano? Peccarunt ergo illi in navi, *Matth.* XIV. 32, 33. qui videntes admirabilem & divinam prorſus in compeſcendis fluctibus maris & ventis componendis Chriſti potentiam, adoraverunt eum, verè Dei Filium eſſe dicentes; quamvis eum hominem eſſe viderent, nec quidquam de eo quod is ſimul & ſummus Deus eſſet, cogitarent. Peccavit & ille cæcus natus, divinâ Chriſti potentia ſanatus, qui ſimul ac, ipſo Chriſto indice, ſuum vidit & agnovit, Servatorem, adorare eum non dubitavit, quamvis illum neutiquam pro ipſo ſummo Deo, ſed pro illius filio, id eſt Chriſto illo promiſſo & expectato (æquipollet enim uterque hic titulus, ex Scripturæ ſenſu,) agnoſceret. Nonnè cui Deus tantam poteſtatem, tàm divinam ſapientiam ac vires largitur, ipſe nos manu ducit, ut in illo tanquam ipſius ſummi Dei viva imagine, ipſum veneremur & adoremus Deum? Et cùm Chriſtus quamvis nobis inconſpicuus ſit factus, (ſicut nec Deus con-

conſpicitur,) nihilominus omnem in cælo & interra poteſtatem à Dextris Dei conſidens habeat, & omnia divinis ſuis oculis perluſtret, an ei eundem cultum & adorationem denegabimus, inconſpicuo, quem ei ultrò & pronis animis deferremus, conſpecto? An igitur Papa Romanus, hominum coram ipſo procumbentium Veneratione dignus eſt, Chriſtus cujus ille ſe vicarium appellat, non eſt dignus? Maria Chriſti Mater, & alii, quos homines fuiſſe fatemur, (ne de Angelis nunc dicam,) flexis genibus, & proſtrato corpore, quin & eorum muta ac inanima ſimulachra, adorantur, & Chriſtus omnium Dominus, niſi ſit ipſe ſummus Deus, iſto cultu, tam indignus quàm Amanus olim judicandus eſt? Scilicet quos ipſi ſacravimus, digniores hoc cultu ſunt, quam is, quem Sacravit ipſe ſummus Deus, & ex mortuis revocatum, Dominum & hæredem univerſorum conſtituit? Prodidit ſeſe hic D. Opponens, dum cultum quem Mardochæus Amano denegavit, divinum, idque meritò, appellat. Fateatur igitur oportet, divinum cultum, latius patere, quàm ut aliquem ſummum Deum eſſe agnoſcas, & ut talem venereris; & hunc ipſum cultum quem
ille

ille Mariæ, Christi Domini nostri Matri, quem Sanctis, quem Angelis, quem Papæ Romano defert, divinum esse. Neque enim unquam majorem, imò ne tantum quidem, & Amanus exegit, & Mardochæus illi denegavit. Absens enim & extrà hominum conspectum sensumquè positus, nedum mortuus, adorari noluit. quid ergo? an illos putat Deos? Si putat, ipse Polytheita est, id est multorum Deorum cultor. Nequè enim Polytheitæ sunt, (quo nos ille nomine immeritò appellat) qui cum Paulo dicunt, *Sunt multi Dii, & multi Domini*, 1. *Cor.* VIII. 5. interim tamen cum eodem, unum solum modò Deum, Patrem, & unum Dominum, ab ipso factum, propter eaque nec Deum absolutè, sed Dominum appellandum, colunt; sed qui plures Deos colunt, & qui præter Patrem illum, ex quo omnia, alios esse summum Deum statuunt. Si non putat, videat quid faciat, dum divinum cultum illis tribuit, quos ipse Deos esse non non putat. Negabit opinor, quod modo asseruit, divinum hunc esse cultum: Sanctos se colere dicet, & Angelos, & homines, non latriæ sed hyperduliæ cultu. Video quid velit; rem eandem aliis effert verbis. Pudet eum

dicere

dicere ſe plures Deos colere; facere non pudet. Sed Deo verba dare difficile eſt. unus Deus cæleſti cultu colendus eſt, in uno Domino Ieſu Chriſto, quem idcircò reſuſcitavit ex mortuis, & in vitam revocavit, ut & vivis & mortuis dominaretur: *Rom.* XIV. & ut per illum ſolum, in cælis habitantem, omnibus eſſet acceſſus ad Deum. Sic docuerunt Apoſtoli, ſic fecerunt iſti ipſi quos colitis Sancti, qui ante ſe nullos habuerunt Sanctos; quos ſi Deus coli & adorari poſt mortem voluiſſet, revocaſſet in vitam, idque nobis per Apoſtolos annunciari curaſſet, quos perfectiſſimos Chriſtianæ pietatis Magiſtros Orbi dedit. Angeli certè, etiam in cæleſti ſplendore conſpecti, adorari ſe à Chriſti ſervis paſſi non ſunt: A*poc.*XIX. 10. & XXII. 8, 9. nedum ut in conſpicui adorari velint ac debeant: quin vel ideò nunc inconſpicui, ne ſubindè in eorum adorationem Chriſti diſcipuli prolabantur. Hinc & Apoſtolus cultum damnat Angelorum, & eum qui iſtis de rebus diſſerere ac docere præſumat, quæ nec vidit ipſe, nec ex Dei verbo didicit, fruſtrà inflatum dicit à mente ſua carnali: *Col.* II. 18. Petrus Cornelium ſibi ad pedes procidentem cohibuit:

Actor.

Actor. x. 26. Nimirum Sanctos vitâ functos pro deprecatoribus ac Patronis habere maluimus, eorùmquè gratiam vario cultu ambire, quàm & ipsi sancti esse, iisdemque quibus illi vestigiis, ad eandem æternæ salutis metam contendere. Verba, quàm maxime exilia, ad obscurandam divinam Christi Majestatem quæsita, Dei subordinati, & beneficiarii, non moramur; ut nec criminationem quà aspergimur, quasi secundum nostram sententiam Amanus, (quem ipse, cum Rege & Domino illius Assuero, æquiparare non ausit,) tam verus fueret Deus, quàm Christus est, cæli & terræ Dominus; non moramur, inquam, ista, ob quæ, nequè Christus de solio Cælestissimæ suæ Majestatis descendet, neque divina veritas clarissimâ suâ luce minus fulgebit.

Argumenta sumpta, ut ait, ex Attibutis Divinis.

Argumentum LXXV.

Nemo bonus nisi solus Deus & unicus, ait Christus Dominus, *Luc.* 18. *vers.* 19. *Marc.* 10. *vers.* 18. Christus est ille bonus (juxta Græcum textum,) *Ioan.* 10. *vers.* 11. Et can-

dor lucis æternæ: & ſpeculum ſine Macula Dei Majeſtatis: & imago bonitatis illius: *Sap.* 7. *verſ.* 26. collato cum *Hebr.* 1. *verſ.* 3. Ergo Chriſtus eſt unus ille Deus.

Reſponſio.

Unus ille Deus, ſolus eſt bonus, quia eſt bonus ex ſe ipſo, & omnis bonitatis primus ac ſummus Author: Chriſtus eſt bonus, ex Deo; proindè quatuor terminis conſtat hic Syllogiſmus, *Ioan.* x. 11. vocat ſe Chriſtus bonum Paſtorem, quatenus boni Paſtoris more, animam ponebat pro ovibus, non bonum abſolutè. Et, ſi Chriſtus eſt imago bonitatis divinæ, neceſſe eſt, ut Chriſti bonitas, ex Dei reſultet bonitate. De locis *Sap.* VII. 26. *Hebr.* 1. *verſ.* 3. egimus in Argum. XX. Mirari autem ſatis non poſſum D. Opponentem ex hoc Chriſti dicto *Matth.* XIX. 16. *Mar.* X. 18. *Luc.* XVIII. 19. *Nemo bonus, niſi unus, nempè Deus,* Argumentum ducere auſum, quò, apertiſſime Chriſtus ſeſe Deum illum ſummum eſſe negavit. Redarguit enim quendam, qui ſe magiſtrum bonum, novo & inſolito titulo, appellaverat, quo ſe ab omni ambitione humanæ gloriæ alieniſſimum eſſe oſtenderet.

Quid

Quid me, inquit, *bonum dicis? Nemo bonus niſi unus*, nempè, *Deus*; quaſi addat, qui cum ego non ſim, titulo iſto novo & inuſitato appellari non cupio.

Argumentum LXXVI.

Quæ perſona eſt, Sapientia, quæ ex ore altiſſimi prodiit, eſtque ante orbem conditum concepta & parturita; *Eccleſ.* 24. *verſ.* 5. & *Prov.* 8. citato; hæc eſt coæterna Altiſſimo. (nec enim unquam ſine ſua Sapientia fuit Altiſſimus.) conſequenter non eſt creatura. Sed Deus increatus, verbum quod erat in principio Deus, *Ioan.* 1. eſt Sapientia quæ ex ore Altiſſimi prodiit, &c. (Synonyma enim ſunt, eſſe verbum Dei Patris, ex ore Altiſſimi intellectualiter procedens: & eſſe Sapientiam ex ore Altiſſimi procedentem:) Ergo verbum quod erat in principio Deus, eſt coæternum Deo Altiſſimo: atque adeò non creatura, ſed Deus increatus.

Reſponſio.

Hoc Argumentum, idem eſt cum Arg. xx. ad quod jam reſponſum eſt. De loco *Ioan.* 1. 1, 2. actum itidem eſt Argum. VII. & XXXI.

Christus verbum Patris appellatur, quatenus Patri, pro verbo fuit, in revelanda illius perfecta voluntate, & nova rerum omnium creatione perficienda. Hæc intelligi possunt, & Scripturæ sunt conformia. At personam intelligendo generari, & intellectualiter ex ore procedere, nemo est qui intelligat, nedum ut in Scriptutis legerit.

Argumentum LXXVII.

Qui potuit dicere, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*; est Deus ille unus: (nec enim ullus sine blasphemiam dicere posset, se habere omnia, quæ habet summus Deus, nisi esset summus Deus.) Christus hoc potuit dicere: & dixit, *Ioan.* 16. *vers.* 15. Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Major est falsa. Qui enim hoc dicit, significat se omnia ista à Patre habere; proindè se summum Deum non esse, qui nihil habet ab aliò, sed omnia à se ipso. Cur verò non possit sine ulla blasphemia, imò verissimè dicere, is qui acceperit à summo Deo omnia, se habere quæ summus Deus habet omnia? nempè ex illius

illius dono, & Paterna gratia, *Ioan.* III. 35. & XIII. 3. & XVII. 2, 7, 10. *Hebr.* I. 2.

Argumentum LXXVIII.

Nemo poteſt ſe dicere æqualem ſummo Deo, vel ab alio talis dici, niſi ſit ſummus Deus: (cum implicet in terminis, eſſe æquale aliquid Summo: & non eſſe ſummum.) Chriſtus ſe Deo ſummo, æqualem, & dicebat ipſe, *Ioan.* 5. *verſ.* 28. & eidem æqualis dictus eſt ab Apoſtolo, *Phil.* 2. *verſ.* 6. Ergo Chriſtus eſt Deus Summus.

Reſponſio.

Negatur & Major & Minor. Quod ad Majorem attinet; Omne æquale, eſt etiam inæquale. Nequè enim hîc loquimur de mathematica æqualitate; ſaltem is qui diceretur æqualis ſummo Deo, in eo eſſet inæqualis, quod æqualitatem hanc haberet à ſummo Deo, non à ſe ipſo; alioquin enim vel duo eſſent ſummi Dii, quod falſum eſt; vel unus idemque ſibi ipſi diceretur æqualis, quod contradictorium eſt. Eſſe aliquid æquale ſummo, & non eſſe ſummum, nempè illud ipſum cui æquale eſt, neutiquam in terminis implicat;

quin contrarium potius, ut diximus, implicat. Ubi enim non dantur plura uno, absolutè summa, ibi æqualitas cum aliqua inæqualitate intelligenda est.

Quod attinet ad Minorem, *Ioan.* v. 28. Iudæi sunt, qui de Christo dicunt, quod se æqualem faciat Deo. An protinus verum est quod Iudæi Christo objiciunt? Nonne illi ipsi ibidem falsò criminantur Christum, quod Sabbatum solverit? Christus Deum appellaverat Patrem suum; *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Hinc judæi inferunt, Patrem proprium, dicit Deum, non contentus communi ratione, quâ Deus, omnium nostrum Pater est, peculiarem sibi ac propriam vindicat. Æqualem igitur se facit Deo. An hæc illatio justa est? præsertim si æqualitatem istam, ultrà quàm fas est, cum Iudæis, Christo iniquissimis, extendas? Nonne qui à Deo sanctificatus erat, & in mundum missus, tanta cum potestate, & (ut uno verbo dicam) qui Christus ille Dei erat, propria sibiquè peculiari ratione, Deum, Patrem suum jure meritoque appellabat? An propterea sese Deo æqualem ferebat? nisi quatenus datur Christum illum Dei, æqualem esse Deo. Idcircò

Iudæorum hanc criminationem reſpondendo coarguens, magnam in iſta ſui cum Deo æqualitate, oſtendit inæqualitarem: Æqualitatem in hoc, quod omnia quæ faciat Pater, faciat & ipſe, facturuſque ſit longè majora, imò omnium maxima: Inæqualitatem rurſus in eo, quod ipſe nihil poſſit facere à ſe ipſo, quod opera ſua, & omnia, habeat habituruſque ſit, ex Patris amore & gratia: *verſ.* 19, 20, 21, 22, 26, 30. quodque ipſe, naturâ ſuâ, Filius ſit hominis, hancque etiam cauſam eſſe, cur ſibi à Patre humani generis judicandi data ſit poteſtas: *verſ.*27. De loco ad *Philip.* II. 6. actum eſt Argum. VII. & XII. ubi oſtendimus verba Apoſtoli, idem ſignificare quod inſtar Dei. Et cùm articulus, excellentiæ nota, ad vocem Dei non ſit appoſitus, nihil eſt neceſſe, ut ſummum Deum ſignificatum putemus, ſed Deum in genere; quaſi dixerit Apoſtolus, in forma Dei cujuſdam, & inſtar Dei cujuſdam.

Non ſatis eſt nos vinculis iſtis expediviſſe, niſi iiſdem D. Opponentem conſtringamus. Nemo ſibi ipſi æqualis eſſe poteſt. Chriſtus eſt ſummo Deo æqualis. Chriſtus igitur ſummus Deus non eſt.

Argumentum LXXIX.

Illa persona, quæ acquisivit Ecclesiam Sanguine suo, est Deus ille unus; ut fatentur adversarii. Christus est illa persona; (nec enim alius suo sanguine acquisivit Ecclesiam, quam qui pro ea sanguinem proprium fudit; quem esse Christum, præter omnes Euangelistas testatur S. Paulus, ad *Eph.* 5. *vers.* 25. & seqq. Unde etiam vocamur populus acquisitionis, 1. *Petr.* 2. *vers.* 9. (ut pote redempti pretioso Sanguine Agni immaculati; ibidem *cap.* 1. *vers.* 19. Christi.) Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Quatuor hic sunt termini. Nam & Deus sanguine suo Ecclesiam acquisivit, quatenus eam acpuisivit sanguine Christi, sui Filii, quem ipse Spiritu suo ac virtute produxit; Nam sicut ipse Christus, sic & sanguis Christi, Dei est, tanquam Patris Christi. Quod Ireneus *lib.* IV. *cap.* XXXIII. de nomine Christi scripsit, id egregiè transferri potest ad Christi sanguinem. Quemadmodum, inquit, si quis Rex ipse Filii sui pingat imaginem, justè suam illam

Iam dicit imaginem, secundum utrumque: sic & Iesu Christi nomen, suum esse confitetur Pater, & quia filii ejus est, & quia ipse, scribens id ad salutem dedit hominum. Eodem igitur modo, Christi sanguis, Dei sanguis est, tùm quia filii ejus est, tùm quia ipse fundi eum fecit ex corpore Filii, in salutem hominum. Major igitur intelligitur de eo qui Ecclesiam acquisivit, effectivè & possessivè suo sanguine; Minor de Christo, qui eam acquisivit, constitutivè suo sanguine. Addimus, variam lectionem esse in loco *Actor.* xx. 28. & quaedam exemplaria habere, *pascere Ecclesiam Domini & Dei*; alia verò, *pascere Ecclesiam Christi, quam acquisivit sanguine suo*; ut patet ex Syriaca editione, & Graecis codicibus. Secundum hunc Lectionem, Negatur Major.

Argumentum LXXX.

Illa persona, quae Animam suam pro nobis posuit; est Deus ille unus: teste S. Ioanne: 1. *Ioan. cap.* 3. *vers.* 16. ubi eum loqui de summo Deo, verba praecedentia & consequentia convincunt. Vocem *Dei*, etsi non omnes Graeci codices habeant, habent tamen aliqui,

(ut teſtatur Robertus Stephani) & Latini omnes, & Biblia Complutenſia.) Chriſtus eſt illa Perſona, quæ Animam ſuam pro nobis poſuit: teſte ipſo Chriſto: apud *Matth.*20. *verſ.*28. *Marc.*10. *verſ.*45. *Ioan.*10. *verſ.*11. *&* 15. Ergo Chriſtus eſt Dominus ille unus.

Reſponſio.

Major eſt falſa: Neque verbis 1. *Ioan.* III. 16. confirmatur, quæ de Chriſto dicta, nemo de Deo ſummo accipiet, niſi jam ante Chriſtum eſſe ſummum Deum perſuaſus ſit.

Argumentum LXXXI.

Qui in Scriptura vocatur Omnipotens, cui nemo reſiſtere poſſit; hic eſt Deus ille unus. Chriſtus vocatur in Scriptura Omnipotens. Nam primo, *Sap.*11. *verſ.*22. dicitur, *Virtuti vel robori brachii tui quis reſiſtet?* Chriſtum autem eſſe brachium Iehovæ, ab Iſaia *cap.*53. *verſ.*1. deſcriptum, innuit S. Ioannes 12. *verſ.*38. & S. Paulus, ad *Rom.* 10. *verſ.*16. Deindè verbum, ſeu Sapientia Dei, vocatur omnipotens, *Sap.*18. *verſ.*15. Deniquè *Apoc.*4. *verſ* 8. canitur Chriſto: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens: qui eſt,*

est, qui erat, qui venturus est. Ubi per venturum intelligi Christum, testatur sequens acclamatio, vers. 11. *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem & virtutem:* quæ verba dicta sunt ad viventem in secula seculorum, descriptum *Apoc.* 1. *vers.* 18. Confirmatur ex *Apocal.* 11. *vers.* 17. ubi dicitur; *Gratias tibi agimus Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, qui venturus es; quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.* Ergo Christus est Deus ille unus.

Responsio.

Primum, Major de eo accipienda est, qui à se ipso, & tanquam persona, Omnipotens est. Deinde Minor negatur. Et si enim Christus Dei beneficio omnia possit, quæ Pater, *Ioan.* V. 19, 20. nusquam tamen in Scriptura Omnipotens appellatur, *Sap.* XI. 21. aliter accipitur vox *brachii*, aliter *Esa.* LIII. 1. *Ioan.* XII. 38. ibi de viribus Deo naturalibus: hîc de Christo, quatenus eum Deus virtute ac Spiritu suo instructurus erat, ad exequenda voluntatis suæ decreta, *Sap.* XVIII. 15. Verbum Dei vocatur Omnipotens; sed istic intelligitur Dei jussus, non Christus, *Apoc.* IV.

8, 9, 10, 11.

8, 9, 10, 11. Non Christo canitur, sed Deo summo qua de re in Argum. LXVII. egimus. Idem fit, & *Apoc.* XI. 17.

Argumentum LXXXII.

Cui à S. Scriptura tribuitur omniscientia, hic est unus ille Deus. (Huic enim ut Primæ causæ, & totius universi gubernatori, proprium est omnia scire.) Christo in forma Dei considerato, omniscientia tribuitur à S. Paulo: *Coloss.* 2. *vers.* 3. *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ Dei.* Est à S. Petro, *Ioan.* 21. *vers.* 17. *Tu omnia nosti.* Et ab aliis Apostolis, *Ioan.* 16. *vers.* 30. *Nunc scimus, quia scis omnia.* Ergo Christus in Forma Dei, est Deus ille unus.

Responsio.

Quod respondimus ad Argumentum superius, de omnipotentia, id respondemus ad hoc de omniscientia. Unus ille Deus à se ipso id habet, ut omnia sciat; Christus, ab illo. Neque enim omnia scire, ita proprium est Deo, ut illud communicare non potuerit Christo, per quem totum universum gubernare, seu ut Apostoli verbis utar, omnem in

habi-

habitare plenitudinem voluit, *Coloss.* I. 19. Porrò quæ ad minoris probationem affert, minime sufficiunt, *Coloss.* II. 3. *In quo sunt, omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ absconditi*; ad mysterium Dei & Christi, appositè refertur, ipsa relatione inter Mysterii & abscondendi voces, invitante: Vereque dicitur, in Christi doctrina omnes thesausos Sapientiæ Scientiæ esse absconditos; quod etiamsi de Christo diceretur, tamen rationæ doctrinæ illius diceretur: hujus enim nobis commendandæ causa ista dicuntur; & sapientia ista ac scientia, non ultrà res ad salutem æternam spectantes, extendi debet. Dicta illa generalia, *Tu nosti omnia*; *Nunc scimus quia scis omnia*; non excludunt omnem exceptionem, & ex subjecta materia intelligenda sunt; Tu nosti omnia, scis omnia, nempè, qui sibi ab homine dici possint; sicut in altero istorum additur, *neque opus habet, ut quis te interroget*: Ioan. XVI. 30. Etiam de Christianis scriptum reliquit idem Ioannes, *vos unctionem habetis à Sancto, & nostiis omnia*: I. Ioan. II. 20. *Omnia*, inquit Paulus, *sustineò propter electos*: II. Tim. II. 10. *Spiritualis dijudicat omnia*: I. Corint. II. 16. *Omnia sunt vestra*: I. Cor. III. 21, 22. & hujus generis,

generis, etiam in communi ſermone, complura alia] ipſe certè Chriſtus dum in terris verſaretur, negavit ſe ſcire diem Judicii. *De die autem illo & hora, nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater meus ſolus*: Matth. xxiv. 36. Mar. xiii. 32.

Hinc Argumentum, ſæpe Adverſariis objectum; nunquam refutatum. Qui negat ſe ſciviſſe diem judicii, is negat ſe ſummum Deum eſſe. Sunt enim iſta inſeparabilia, Summum Deum eſſe, & diem judicii ſcire. Chriſtus negat ſe diem Iudicii ſciviſſe, verbis citatis. Ergo, &c. Non negat, inquis, ſe ſciviſſe, conſideratum in forma Dei, ſed tantum conſideratum in forma ſervi. Diſplicuit illi uſitata in hoc Argumento divinæ & humanæ naturæ diſtinctio: Maluit uti vocibus ex Scriptura mutuatis, ſed longè alio ſenſu. Apoſtolus enim per formam Dei, non intellexit naturam ſecundum quam Chriſtus ſummus Deus ſit, ſicut nec per formam ſervi naturam humanam ſimpliciter; ſed per formam Dei, ſtatum & conditionem divinam, exterius in Chriſto apparentem; per formam ſervi, ſtatum & conditionem illam ſervilem, cum ſerviliter Chriſtus tractaretur, adeò ut

etiam

etiam ſervile ſubiret ſupplicium, qua de re in Reſponſione, ad Argum. VII. & XII. egimus. Ita non ſolum conſuetos terminos inutiliter mutavit, ſed etiam Scripturæ phraſes, in alium ſenſum traduxit: quibus, ſi eodem ſenſu, quo Paulus, uteretur, pronum eſſet illi oſtendere, Chriſtum in forma Dei conſideratum, neſciviſſe ſeſe diem Iudicii dicere. Sed demus id gratiæ D. Opponentis, ut ad hoc exiguum tempus, forma Dei, naturam, quam vult Chriſti divinam, forma ſervi, naturam ejus humanam ſignificet. Chriſtus igitur in forma Dei conſideratus, diem Iudicii ſcivit, in forma ſervi neſcivit. Cur igitur ſimpliciter ſciviſſe ſe negat, ſi æquè, imo magis ſimpliciter aſſeri poteſt, quod ſciverit? ſecundum enim potiorem ſui formam ſcivit. Potuit igitur & ſimpliciter ſe ſummum Deum eſſe negare. Nam in forma ſervi conſideratus, non magis ſummus Deus fuit, quam diem Iudicii ſcivit. Fando auditum non eſt, idem de aliquo, & aſſeri ſimpliciter poſſe, & ſimpliciter poſſe negari. Non igitur in Chriſto talis, ſive De Forma, ſive natura fuit, ſecundum quam ſimpliciter dici potuit diem Iudicii ſcire, aut ſummus Deus eſſe. Ulterius, ſi talis forma

vel

vel natura in Christo esset, Filii nempè Dei voce significaretur. At filii voce significata non est, non igitur in Christo est. Neque enim simpliciter dixisset Christus, Filium nescire diem Iudicii, si quatenus filius Dei erat sciebat: sciebat autem si Filii voce, summi Dei significabatur natura. Pergo, si Christus in Forma Dei seu divinitate sua consideratus, diem Iudicii nescivit, sequitur Formam Dei in qua fuit, seu divinitatem quam habuit, non fuisse ipsam summi Dei naturam, in qua nihil nescire potuit. At verum prius; verum igitur & posterius. Prius verum esse inde patet, quad Christus, quatenus Angelis fuit superior, ignorare se diem Iudicii asseruit. Progreditur enim, & assurgit illius oratio. *De Die*, inquit, *& hora illa nemo scit*. quod ne quis intra homines solummodo cluderet, Angelos autem tanquam hominibus superiores excipiendos putaret, *Neque Angeli*, inquit, sciunt. At cum restaret adhuc Angelis Major filius, & hic saltem diem Iudicii scire, non immerito credi posset, etiam hunc exclusit, *neque Filius novit*, inquiens, q. d. quanquam Angelis Major ac divinior. At Christus, extra suam divinitatem, nudè in humana

humana & mortali olim natura confideratus, Minor fuit Angelis, *Hebr.* 11. *verſ.* 9. non major nec divinior. Igitur dum ſe diem Iudicii ignorare dicit, de ſe in forma Dei, in qua fuit, ſive in divinitate ſua conſiderato, loquitur. Poſtremò, quo omnes elabendi rimas omniſcius Dominus obſtrueret, addit; *Niſi Pater meus ſolus.* Iam vertant ſe quoquo velint, omnes præter Patrem, excludi neceſſe eſt. Non excluditur inquiunt, Filius: hoc jam ipſi Filio contraſtare eſt, & quod ille diſerte verum eſſe aſſeruit, totidem verbis verum eſſe negare.

Argumentum LXXXIII.

Cui notæ ſunt internæ hominum cogitationes, hic eſt Deus ille unus, 3. *Reg.* 8. *verſ.* 39. Chriſto, adhuc cum hominibus converſanti, notæ erant internæ cogitationes hominum: *Matth.* 9. *verſ.* 4. *&* *cap.* 12. *verſ.* 25. *Mar.* 2. *verſ* 8. *&* *cap.* 8. *verſ.* 1. *Luc.* 5. *verſ.* 22. *&* *cap.* 6. *verſ.* 8. *&* *cap.* 9. *verſ.* 47. *Ioan.* 16. *verſ.* 19. & alibi ſæpe. Ergo Chriſtus cum hominibus converſans, erat Deus ille unus.

Responsio.

Hoc Argumentum verbis differt, re idem est cum superiore, eodemque modo solvitur. Christus enim id habuit à Deo per Spiritus Sancti virtutem: quâ Dei munere fuit repletus. Ideò Marcus ait, Christum protinus cognovisse Spiritu suo, scribarum cogitationes, *Marc.* 11. 8.

Argumentum LXXXIV.

Per quem facta sunt sæcula, hic fuit ante omnia sæcula. Per Christum sæcula facta sunt: *Hebr.* 1. *vers.* 1. Ergo Christus fuit ante omnia sæcula: nempè Deus coæternus Patri.

Responsio.

Negatur Major. Neque enim sequitur, si per Christum facta sint sæcula, illum esse ante omnia sæcula; sed tantum, illum esse ante sæcula, quæ per ipsum sunt facta. A parte ad totum, non datur affirmando procedere, *Hebr.* 1. 1. agitur de nova creatione per Christum facta, postquam extremis diebus per illum Deus locutus esset, eundemque hæredem universorum constituisset. qua dere etiam Pro-

phe-

phetarum cecinerunt oracula, *Esai*.LI.16. & LXV. 17, 18. & LXVI. 22.

Argumentum LXXXV.

In quo ante tempora sæcularia data est nobis gratia, hic fuit ante tempora sæcularia. (Nec enim tunc dari nobis in illo potuisset, si ille tunc non fuisset.) In Christo data est nobis gratia, ante tempora sæcularia. Ergo Christus fuit ante tempora sæcularia: non secundum formam servi in tempore assumptam, sed secundum formam Dei, secundum quam, est character, & imago naturalis hypostaseos Dei: *Hebr*. 1. *vers*. 2.

Responsio.

Conceditur totum Argumentum, Christum fuisse ante tempora sæcularia, nempè eodem modo quo nobis in illo data est gratia ante tempora sæcularia. Nobis enim tunc gratia data est, non effectu ipso, sed Dei hac de re decreto. Sic igitur tunc & Christus fuit, non effectu ipso, sed Dei de illo decreto. Quæ hic de forma Dei, & forma servi, de charactere & imagine (naturali addit de suo,) hypostaseos Dei subjicit, huc non pertinent.

Ut sub Numero VII. XII. XXI. LXXXII. ostensum est.

Argumentum LXXXVI.

Si Christus non esset Deus ab æterno, esset Deus recens: ut patet ex terminis. Sed Christus non est Deus recens: secus non esset ab Israelitis colendus: ut pote quibus dictum est, *Psal.* 80. *vers.* 10. *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens.* Ergo Christus ab æterno.

Responsio.

Ad hoc Argumentum Numero LV. respondimus.

Argumentum LXXXVII.

Qui claritatem aliquam habuit priusquam mundus fieret, hic extitit priusquam mundus fieret: (Non Entis enim nulla qualitas.) Filius Dei habuit claritatem, & quidem summam, priusquam mundus fieret: *Ioan.* 17. *vers.* 5. undè etiam dicitur, ex utero genitus ante Luciferum, *Psal.* 109. *vers.* 3. & egressus ejus ab initio à diebus æternitates: *Mich.* 5. *vers* 2. Ergo Christus Filius Dei exiitit, antequam mundus fieret.

Responsio.

Responsio.

Concedimus totum Argumentum; Nempè Christum extitisse antequam mundus fieret, eo modo quo antequam mundus fieret, claritatem habuit, Dei videlicet constitutione; quod & Augustinus agnovit & res ipsa docet. Hanc enim gloriam Christus effectu ipso, post perpessiones & mortem crucis exantlatam adeptus est: *Luc.* XXIV. 26. & I. *Petr.* I. 11. Cur enim alioquin & mortem aditurus Patrem oraret, ut se claritate ista clarificaret, si eam, effectu ipso, & apud se, non apud Patrem adhuc, non eo tempore tantum, sed etiam antè mundum conditum habuit? De hoc ipso loco egimus, *Num.* XX. de loco *Psal.* CX. 3. egimus *Num.* XVIII. Locus *Mich.* V. 2. de egressu Christi ex Bethlem, & illius ex Davide & consequentibus Regibus antiqua agit prosapia; quod locum intuenti patet; & animadversum est ab aliis, præsertim ut est in Hebræo fonte verba Prophetæ legentibus. *Et egressus ejus* (numero plurativo, per multos scilicet avos atavosque descendentis,) *ab antiquo, à diebuus sæculi.*

Argumentum LXXXVIII.

Qui eſt ante omnes, eſt ante omnes Angelos, & ante omnes creaturas: (ex vi univerſalis ſyncategorematis.) Filius Dei eſt ante omnes: ait S. Paulus, *Coloſſ.* 1, *verſ.* 17. Ergo Filius Dei eſt ante omnes Angelos, & ante omnes creaturas: ut VERBUM, quod in quantocunque durationis principio ERAT DEUS.

Reſponſio.

Concedimus totum Argumentum; Filium Dei eſſe ante omnes Angelos, & ante omnes creaturas; nempè quatenus per ipſum conditæ ſunt, quibus & tempore antiſtat, & loco ac dignitate: *Coloſſ.* 1. 15, 16, 17. qui locus apertiſſime agit de nova creatione. De loco, verbum erat Deus, *Ioan.* 1. 1. actum eſt Argumen. VII. & XXXI. Cæterum Dominus Opponens, Ioanne Apoſtolo multò providentior eſt, dum, pro nuda principii voce, apud Ioannem, ſcribit, quantumcunque durationis principium. Mirum eſt Ioannem hoc non vidiſſe, aut ſi vidit, non ſcripſiſſe. Sed ſi hoc dicere voluiſſet, longè clarius dixiſſet ver-

bum, non in quantocunque, vel potius, quocunque durationis principio, (duratio enim ipsa per se, nec principium habet ullum, nec finem;) sed ab omni æternitate fuisse. Ostendat vel unicum exemplum, sive in Sacris, sive in Profanis, voces, in principio, significare quantumcunque durationis principium, & vicerit. Igitur cum in sequentibus scribit Ioannes, verbum à Deo, in mundum venisse, & in mundo versatum fuisse, haud dubiè post principium, quo apud Deum fuerat, intelligendum similiter erit, verbum post quodcunque durationis principium in mundum venisse, & in mundo fuisse? Quousque tandem oculos tenebimus clausos, nec videbimus Ioannem novi mundi novæquè creationis historiam nobis texere?

Argumentum LXXXIX.

Nemo potest totaliter capere Deum illum unum, nisi sit Deus ille unus; tum quia eum cæli cælorum capere non possunt; tum quia major est Deus corde nostro; tum quia ens infinitum, non potest capi nisi ab infinito. Christus totaliter cepit Deum: quia de ipso dicitur, quid *in ipso corporaliter*, id est realiter,

non figuratè, ſit (vel in habitet perpetuo, κατοικεῖ) *tota plenitudo Divinitatis*: Coloſſ. 2. verſ. 9. Ergo Chriſtus eſt unus ille Deus.

Reſponſio.

Miror D. Opponentem auſum aſſerere, id quod in Majore continetur, cùm illius ſententiâ, Deus totus, infinitus, ſecundùm ſuam eſſentiam, ſit, non tantum in qualibet Creatura, ſed etiam in quovis atomo. An igitur Deus unus capiet unum Deum? At quomodo unus, ſi alter capit, alter capitur? quomodo infinitus, ſi capitur ab infinito? Duo enim dari infinita, contradictionem implicat. An capit ſeipſum? Non igitur capit alterum. Et cum Chriſtus Deum dicitur capere, intelligendum erit, quod Chriſtus capiat ſeipſum? Cùm in nobis Deus eſſe, & habitare dicitur, quin & nos in Deo, an totum Deum, in nobis, & nos in toto Deo habitare putat, an partem tantum? & ſi in parte, doceat nos quo pacto Deus ipſe dividi poſſit in partes? Ipſe Chriſtus, ſecundum humanam naturam, an totaliter capit Deum? Si capit, natura Chriſti humana ex ratiocinatione D. Opponentis erit infinita. Si non capit, quid ergo eſt in Chriſto,

ſto, quod totaliter Deum capit? Divina enim natura & perſona Chriſti, vobis ipſe Deus eſt. Quid nos urget iſtiuſmodi Argumentis, à quibus ipſe urgetur, nos ne tangit quidem? Negamus enim Majorem. Poteſt ſiquidem totaliter capi Deus, qui nunquam non totus eſt, eo modo quo Deus capitur & capit vult ab homine, nempè per communicationem Spiritus Sancti, *Ioan.* XIV. 23. collato cum *verſ.* 16. *&* 1. *Cor.* III. 16. *&* VI. 19. *Eph.* II. 22. Hinc & Epheſiis precatur Apoſtolus, *ut impleantur in omnem plenitudinem Dei*, id eſt, ita ut omni ex parte pleni ſint Deo; ſeu, ut omnem illam plenitudinem habeant, quà Deus implere ſolet homines: *Epheſ.* III. 19. Hoc modo & Chriſtus totaliter Deum cepit, accepto [illegible]rum à Deo ſine menſura Spiritu Sancto, ut univerſa teſtatur Scriptura. Locus ad *Coloſſ.* II. 9. de Chriſto ratione doctrinæ ejus accipi poteſt, ut patet ex toto fere capite, præſertim ex *verſ.* 2, 3, 4, 6, 8, 10, 17. & ſequend. Docet enim Apoſtolus, Chriſti Doctrinam, non tantum Divinam eſſe, ut Iudæi de ſua lege, Philoſophi de ſua aſſerebant Philoſophia, ſed Diviniſſimam prorſus, adeò ut ei nihil deſit, ad omnem Divinitatis

plenitudinem, non per umbras, ut olim in lege, ſed Corporaliter & ſolidè in ea habitantem: *verſ.* 17. noſque per Chriſtum, id eſt, doctrinam ejus eſſe impletos, eadem ſcilicet divinitatis plenitudine; *verſ.* 10. ut nobis ad veram ac verè divinam nihil deſit ſapientiam. Eſſentiam hic ſummi Dei non intelligi, voces, omnis plenitudinis, docent. Hæc enim eſſentia Dei, datur omnis, & non omnis, plena, & non plena. Itaque hæc divinitas de ſapientia & cognitione vera ac ſolida, quippè quæ divinos faciat homines, intelligenda eſt ut patet ex *verſ.* 2, 3. ubi id ipſum aliis verbis dicitur. Nec enim aliud eſt, omnis iſta plenitudo divinitatis, vel Deitatis, quam, omnes theſauri ſapientiæ & cognitiones ſalvificæ. Si tamen locus iſte de ipſa Chriſti perſona accipiatur, ſenſus erit, Deum in Chriſtum pleniſſimè contuliſſe quidquid ſolidiſſimæ ac veriſſimæ Divinitatis Deitatiſve, in aliquem, à ſummo Deo conferri poteſt.

Sequntur Argument*a quæ ſumpta dicit, ex operationibus Divinis, & cultu Divino.*

Argumentum X C.

Qui ad Iudæos mittebat Prophetas & Sapien-

Sapientes, quos illi lapidabant & occidebant; Is eſt Deus Iſrael, & Deus ille unus: ut patet ex toto veteri Fædere. Chriſtus eſt ille, qui ad Iudæos mittebat Prophetas: *Mat.* 23. *verſ.* 34. & 37. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Negatur Minor. Neque enim Chriſtus dicit *Matth.* XXIII. 34, ſe olim miſiſſe Prophetas & Sapientes, olim jam à Iudæis lapidatos & occiſos; ſed, *Ecce ego mitto*, vel (ſicut apud Lucam legitur, *Cap.* XI. 49.) *mittam* (quanquam iſtic verba iſta Sapientiæ divinæ, id eſt Deo ſapienti tribuit Chriſtus, ſed quæ ipſe Dei nomine erat executurus,) *Prohetas & Sapientes & Apoſtolos*, ab illis qui tum vicebant Judæis occidendos, crucifigendos, flagellandos, & perſequendos, ut ſic implerent menſuram Patrum ſuorum, qui antiquos occiderant Prophetas, & pænas luerent (quanquam non ultrà proprium meritum,) effuſi ab orbe condito juſtorum ſanguinis.

Argumentum XCI.

Cujus Paſtoris & Capitis Eccleſiam perſeque-

ſequebatur Paulus, hic eſt ille unus Deus, *Gal.* 1. *verſ.* 14. Chriſti Eccleſiam perſequebatur Paulus: (nempè ejus qui dicebat, *Saule Saule quid me perſequeris?* Actor. 9. verſ. 5. & ſequentibus.) Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Aliter Deus, aliter Chriſtus eſt Paſtor & Caput Eccleſiæ: Deus quatenus per Chriſtum, tanquam Paſtorem, Eccleſiæ à ſe datum Eccleſiam paſcit, & quatenus Chriſti, quem Eccleſiæ pro capite dedit, *Epheſ.* 1. 22. caput eſt: 1. *Cor.* XI. 3. Chriſtus verò, quatenus à Deo & Paſtor & Caput Eccleſiæ datus eſt. Major loquitur de Paſtore & Capite priori modo, Minor poſteriori modo. Sic quatuor termini ſunt in hoc Syllogiſmo.

Argumentum XCII.

Qui dedit nobis Spiritum Sanctum, eſt Deus ille unus, uti docet (ut Prophetas omittam) S. Paulus, 1. *Theſſ.* 4. *verſ.* 8. Sed non ſolus Pater, ſed & Filius dedit nobis Spiritum S. 1. *Ioa.* 3. 24. & in Euangelio, 16. 7. Ergo non ſolus Pater, ſed & Filius eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Responsio.

Obliviſcitur ſui D. Opponens: Hoc Argumentum jam ſcripſit *Num.* LXVIII.

Argumentum XCIII.

Vnus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem; ait S. Paulus, *Rom.* 3. *verſ.* 30. Sed hic qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem, eſt Chriſtus, teſte S. Paulo, Actor. 13. verſ. 38. *Notum ſit vobis, quia per hunc* (CHRISTUM) *vobis remiſſio peccatorum annunciatur: & ab omnibus à quibus non potuiſtis in Lege Moyſis juſtificarii in hoc omnis qui credit juſtificatur.* Quò etiam faciunt, quæ dicuntur *Rom.* 5. *verſ.* 9. *&* 1. *Cor.* 6. *verſ.* 9 *&* 10. ad *Galat.* 2. *verſ.* 16. ubi Chriſto tribuitur juſtificatio per fidem & ex fide. Ergo Chriſtus eſt ille unus Deus.

Responſio.

Deus juſtificat, tanquam cauſa prima: Chriſtus, tanquam cauſa media, & is per quem Deus juſtificat, ut iſta ipſa à D. Opponente producta teſtimonia docent. Ita rurſus ſunt quatuor termini in Argumento.

Argu-

Argumentum XCIV.

Qui creavit omnia, eſt unus ille Deus: ad *Hebr.* 3. *verſ.* 6. & alibi ſæpe. Chriſtus eſt qui creavit omnia: A*poc.* 4. *verſ.* 11. quem verſum eſſe de Chriſto etiam Luclavicienſis Interpres fatetur, in Commentario verborum illorum ad *Coloſſ.* 1. *verſ.* 16. in ipſo omnia facta ſunt: etſi eum perperam, & ſine ullo fundamento explicet, de rebus ſolum ad Euangelium pertinentibus. Idem dicitur A*po.* 4. *verſ.* 6. *Iuravit per viventem in ſecula ſeculorum*: (quem ſe eſſe, Chriſtus ipſe profitetur, Apoc. 1. *verſ.* 18.) *qui creavit cælum, & quæ in eo ſunt; & terram, & quæ in ea ſunt.* Idem clarè exprimitur A*poc.* 14. *verſ.* 7. ubi adventus horæ Judicii, eſſe de Chriſto ſermonem perſuadet. Idem deniquè dicitur, Hebr. 1. 10. *Tu autem Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*, &c. Ut proindè etiam dicta *Ioan.* 1. *verſ.* 3. *Coloſſ.* 1. *verſ.* 16. *Epheſ.* 3. *verſ.* 9. juxta Græcum textum debeant univerſaliter ſumi: nec ad ſolam novam creaturam, reſtringi. Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Responsio.

Piget me toties respondere ad Argumenta eodem vitio peccantia. Deus creavit omnia, tanquam causa prima; Christus tanquam causa media. Per Christum enim Deus creavit omnia, creatione nova, quod arbitror, etiam Luclaviciensis quem vocat commentator solidè demonstrâvit; sed quid satis solidum est, cedere nolentibus? Memoria fortassis iterum & errore lapsus est D. Opponens, asserens, quem Luclaviciensem vocat Interpretem, fateri, verba *Apoc.* IV. 11. ad Christum dici. Loca item alia quæ citat, omnia de Deo agunt, non de Christo: *Hebr.* I. 10. Citantur verba ex *Psal.* CII. 26, 27, 28. *Tu Domine in principio fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut amictum convolves eos, & mutabuntur. Tu autem idem es, & anni tui non deficient.* quæ verba cùm apertissimè in Psalmo ad Deum dirigantur, nemo ea ad Christum, tanquam jam tum re ipsa existentem, directa fuisse credet, nisi prius, aut Christum esse Deum ipsum, aut saltem jam tum re ipsa extitisse, & Deo in mundi

crea-

creatione ſubordinatum fuiſſe, & hic implicitè cum Deo, tanquam jam re ipſa exiſtens, compellari potuiſſe, credat. At hoc ſi credidiſſent Hebræi, minime dubitaſſent, Chriſtum Angelis ſemper fuiſſe præſtantiorem; proindè nec Legem Euangelio cenſuiſſent præferendam, quod lex per Angelos, Euangelium per Chriſtum hominem promulgatum eſſet. quorſum igitur tantam inſtitueret diſputationem, ut Chriſtum Angelis præſtantiorem factum eſſe doceret, idque tum inprimis, cum morte ſuperata, mortalitatem depoſuit, & cæleſtem illum thronum adeptus eſt? Nequè enim tantum à certò demum tempore factus, ſed ab omni tempore ſemper fuiſſet Angelis, ſine ulla comparatione ſuperior, Apparet igitur Hebræos iſtos neutiquam credidiſſe, Chriſtum vel ipſum ſummum Deum eſſe, vel jam olim in mundi creatione re ipſa extitiſſe, illiuſquè una cum Deo opificem fuiſſe. Hoc autem non credito, fruſtrà ad Chriſtum applicarentur, iſto ſenſu, Pſalmi de quibus agimus verba, ſiquidem in iis pro conceſſo ſumeret D. Author, id quod maximè verſaretur in controverſia. Neceſſe igitur eſt hoc Pſalmi teſtimonium, accommodatè

ad ſcopum & inſtitutum D. Authoris accipere. Nec enim per illud non tantum non probare, ſed etiam evertere theſin ſuam, *verſ.* 4. poſitam, voluiſſe cenſendus eſt. Nempè docuerat ſuperiore teſtimonio, ex *Pſal.* XLV. petito, Thronum Chriſti in ſeculum ſeculi, id eſt, una cum mundo duraturum eſſe; nunc porrò etiam mundum per illud finiendum eſſe docet, prolato de mundi ſicut creatione ſic abolitione, aperto ſcripturæ teſtimonio. Neque enim dubium erat, apud Hebræos, ea quæ Regni Chriſti tempore facturus eſſet Deus, ad populi ſui ſalutem ſpectantia, (inter quæ vel præcipuè, mundi numeranda eſt abolitio,) per Chriſtum facturum eſſe: qua de re ne ullum planè reſtaret dubium, tale protinus de Chriſti præſtantia teſtimonium adducit, in quo ſimul docetur, non antè, præſens Chriſti regnum finiendum eſſe, quàm omnes ſuos hoſtes, inter quos & mortem, pedibus ſuis habuerit ſubjectos, 1. *Cor.* XV. 24, 25, 26. quibus ſubjectis, & morte in omnibus ſanctis, tam vivis, quam mortuis, abolita, uſque in immortalitatem vindicatis, quis huic mundo & præſenti ſeculo reſtaret amplius locus? ac proinde idem ille Chriſtus, qui omnes ſuos

hostes abolebit, eadem opera & huic mundo finem imponet, & suos in cælum illud novum ac terram novam deducet, II.*Petr*.III.13. Ex iis quæ adhuc diximus patet, verba illa *Psal.* CII. hactenus tantum ad Christum, tanquam re ipsa existentem applicanda esse, & à D. Authore applicata fuisse, quatenus in iis significatur, cælum & terram, per ipsum à Deo abolitum iri; quæ res novum & illustre continet Argumentum, quo Christum Angelis longè præstantiorem esse evincitur. Itaque ex his Psalmi verbis nullum sumi potest documentum, verba, *Ioan.* I.3. *Col.*I.16. *Eph.* III.9. de veteri etiam creatione, per Christum, quasi jam reipsa existentem, facta, intelligenda esse; neque Græcus textus, magis universalitatem designat, quàm Latinus; quin potius apposito ad vocem omnia articulo, mentem & cogitationem nostram, ex latissima universalitate, ad rem subjectam revocat. Addimus autem subindè, non dici usquam in Scriptura, veterem creationem, per Christum, quasi re ipsa tum existentem, factam, eo quod recentiores quidam Scripturæ Interpretes, viri doctissimi, observaverint, Hebræis jam olim creditum, veterem

quoque creationem per Chriſtum factam eſ-ſe, quatenus propter Chriſtum, & Chriſti, jam tum in mente ac conſtitutione divina exiſtentis, intuitu, facta ſit; quo ſenſu etiam iſtis de quibus agimus Scripturæ teſtimoniis, Chriſto veterem creationem tributam eſſe putant.

Argumentum XCV.

Si Chriſtus non eſſet Creator cæli & terræ, & tamen eſſet Deus, cenſeretur inter Deus exterminundos. (Nam *Ierem.* x. 11. dicitur: *Dii qui non fecerunt cælum & terram, pereant de terra.*) At Chriſtus ſine blaſphemia non poteſt poni inter Deos exterminandos. Ergo Chriſtus eſt Deus, qui fecit cælum & terram.

Reſponſio.

Major non tantum falſa eſt, ſed etiam hoc pacto propoſita, contradictionem implicat; Sive enim Chriſtus eſſet ſummus Deus, quo pacto non eſſet Creator cæli & terræ? ſive à ſummo Deo factus, quo pacto inter Deos exterminandos eſſet cenſendus? Ieremiæ verba *Cap.* x. 11. ex ſubjecta materia debent intel-

ligi, nempè de Diis Gentium, qui cum cælum & terram non fecerint, id eſt ſummus ille Deus non ſit, neque etiam divinitatem ſuam ab illo habeant, proindè nec ullam habeant, ideò perire eos vult de terra Ieremias, ſeu potius cum nihil ſint, & jam dudum de terra perierint, pro perditis ab omnibus reputari. Illi verò qui à Deo habent, ut Dii ſint, proindè cum Deo unum ſunt, & ab ipſo pendet, an exterminandi eſſe, ſine ſumma blaſphemia dici poſſunt? An igitur & Angelos, quos Scriptura Deos ex ſuo vocat ſenſu, an ſupremos in terris Iudices ac Poteſtates, exterminandas dicemus? quid? ipſe Chriſtus ſecundum humanam naturam, ſecundum quam profectò cælum & terram non creavit, & tamen in divinitatis participationem evectus eſt, exterminandus erit? Mariam item, Chriſti Matrem, & Sanctos omnes, in quorum Cæleſti patrocinio ſpem repoſitam habetis, inter exterminandos collocabitis Deos? Non Dii ſunt, inquies. Neque iſti Dii erant, quos exterminandos dixit Propheta; quin ideò exterminandos, quod Dii non eſſet. Non habemus Sanctos, inquis, pro Diis, nec Deos appellamus. quid ſi haberetis? an ideò Sancti exter-

exterminandi essent, & non illi potius qui tantam Sanctis, & in Sanctis ipsi Deo, facerent injuriam? quid si vocabuli tantum hæc negatio est, re ipsius confessio? An si Gentes, Diis suis, Deorum quidem nomen denegassent, cœterum eos tanquam cœlestes Patronos coluissent, exterminandi idcircò Dii ipsorum non fuerant? quid ni? inquies. Neque enim à Deo dati erant, sed vana hominum opinione invecti. Vides igitur eos qui à Deo dantur, eximendos esse. Et de Sanctis quidem, an nobis post mortem Patroni cælestes dati sint, vos videritis; de Christo certè, quod ex mortuis sit resuscitatus, & in cælestem Regem ac Dominum nobis à Deo datus, nullum est dubium. Non fuerit igitur cæli & terræ creator; at si omnem in cælo & in terra potestatem Dei dono adeptus est, exterminandus nihilominus erit? neque idcirco, tanquam talis, qualis à Deo effectus est, colendus? Non potuit, inquies, Deus, homini, nisi in unitatem personæ secum assumpto, tam divinam conferre potestatem. quid audio? Deus summus homo fieri potuit, & homini cælestem in omnia potestatem dare non potuit? quin imò, si hominem fecit se

ipſum, & ſe ipſum hominem, tam illi quidquam dare potuit; quam ſibi ipſi. Potuit Chriſti Matrem cæli Reginam facerè, potuit Sanctorum animas, patrocinandi innumeris hominibus, preceſque eorum percipiendi, cæleſti planè poteſtate, & idcircò religioſæ adorationis, cultuſque dignatione donare; & Chriſtum Cæleſtem noſtrum Regem, cæleſti à nobis honore afficiendum, facere non potuit? Dicite contra Chriſtum Dei quidquid excogitare poteſtis, inter idola Gentium & Deos exterminandos eum referte, niſi ſit ipſe ſummus Deus, quemvis ei ſive Angelorum, ſeu hominum etiam mortuorum præferendum ducite, non tamen efficietis, quin ei non tanquam ſummo Deo, ſed tanquam homini, à ſummo Deo exaltato, cæleſtiſſimæ laudes, in ſummi Dei gloriam, dicendæ tribuendæque ſint.

Argumentum XCVI.

Ille qui gratiam & gloriam dat, eſt unus ille Deus: *Pſal.* 83. *verſ.* 12. Chriſtus Dominus, eſt qui dat gratiam: (ut patet ex omnibus propè exordiis epiſtolarum S. Pauli:) &

glo

gloriam: *Ioan.* 1. 28. & alibi ſæpe. Ergo Chriſtus Dominus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Deus dat gratiam & gloriam, tanquam illius primus fons & Author, Chriſtus tanquam Dominus à Deo exaltatus, & poteſtate ab illo accepta, ut ex iiſdem Epiſtolarum exordiis, imò ex omnibus aliis Scripturæ locis, patet.

Argumentum. XCVII.

Cui convenit homines ſanctificare, eſt Iehova: *Levit.* 22. *verſ.* 33. Chriſto Domino convenit homines ſanctificare: *Hebr.* 11. 11. & *cap.* x. 29. Ergo Chriſtus Dominus eſt Iehova.

Reſponſio.

Idem eſt hujus Argumenti vitium, quod ſuperioris, idcircò eadem etiam reſponſione tollitur.

Argumentum XCVIII.

Ille cui canebat David, *Pſal.* 64. *verſ.* 6. *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, in habitabit*

in atriis tuis; eſt Deus ille unus; ut patet ex contextu Pſalmi. Chriſtus eſt is, cui hæc canebat David: cum ipſe Chriſtus *Ioan.* 13. *verſ.* 18. dicit, *Ego ſcio quos elegerim.* & Cap. 15. verſ. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi.* & verſ. 19. *Elegi vos de mundo.* Ergo Chriſtus eſt Deus ille unus.

Reſponſio.

Negatur Minor. An enim quia Chriſtus elegit diſcipulos, idcircò illi cecinit David, Beatus quem elegiſti, &c. Atqui & Deus elegit Chriſti diſcipulos, per Chriſtum, & huic cecinit David, qui & olim ante Chriſtum, & nunc per Chriſtum eligit Salvandos.

Argumentum XCIX.

Qui debet honorari, ut cauſa Prima, & ut Deus ſummus, hic eſt Deus ſummus: (neque enim honor debitus ſummo Deo, ulli poteſt tribui, qui non ſit ſummus Deus.) Chriſtus Dominus debet honorari, ut cauſa prima, & ut Deus ſummus. Ergo Chriſtus Dominus eſt Deus ſummus. Minor probatur: Quia ita debet honorari, ſicut honoratur Deus Pater:

Ioan.

Ioan. v. 23. Ergo Christus debet honorari ut Deus summus.

Responsio.

Ambiguitate ludit D. Opponens honorari ut causa prima, & ut Deus summus, duplicem habet significationem; vel ut habeas aliquem & agnoscas pro causa prima & pro Deo summo; vel, ut aliquem pari animi & corporis demissione, pari fiducia, paribusque servitiis cum causa prima & summo Deo colas. Priore sensu, vera est Major, Minor falsa; Posteriore sensu, falsa est Major, Minor vera; & hoc sensu, sic honorandus est Filius, sicut honoratur Pater; sed Filius, tanquam ab ipso missus, & omnem potestatem adeptus; Pater tanquam is, qui Filium misit, eique omnem servandi nos dedit potestatem, ut isto ipso in loco docet Christus, *Ioan.* v. 22, 23, 26, 27, 30.

Itaquè telum hoc retorquemus in Oppugnatorem. Qui in Scriptura honorandus proponitur, tanquam à Deo missus, tanquam Dominus & Rex ab ipso factus, tanquam illius Christus & Agnus, tanquam Iudex ab ipso constitutus, tanquam media salutis nostræ

causa, tanquam is, per quem, & in quo Deus summus honorari debeat ab omnibus, is summus Deus non esse ostenditur, nisi dicamus, utraque ratione summum Deum honorandum esse; quod non supervacuum tantum, sed etiam absurdum est. Christus, eo quo diximus modo honorandus in Scriptura proponitur, sicut eam legentibus obvium est. Inter plurima vide *Ioan*.v. 23. *Philip*.II.9, 10, 11. *Apoc*.v. 5, 6, 9, 10, 12, 13. & xx. 6. *Ioan*.v. 22, 23. & 1. *Cor*.VIII. 6. *Rom*.XVI. 27. *Ephes*. III. *vers*.20, 21. *Col*.III. 17. Ergo, &c.

Argumentum C.

Quem suo tempore dixit suum Dominum David, *Psal*.109. *vers*.1. Et suum Dominum Syrach, *Cap*.51. *vers*.14. & suum Dominum, Angeli & Elizabeth, & Regem Israelis Nathanaël, & suum Dominum Apostoli; Hic fuit Dominus, ante suam in cælos ascensionem. Christum suum Dominum dixerunt, & David loco citato, & *Matth*.22. *vers*.44. & Syrach loco citato, & Elizabeth, *Luc*. 1. 43. & Angeli *Luc*. II. 11. & Nathanel dixit eum Regem Israel, *Ioan*.1. 50. & Apostoli sæpe eum dixere Dominum; quod in eis lau-

davit ipſemet Dominus, *Ioan.* XIII. 13. Ergo Chriſtus fuit Dominus, ante ſuam in cælos Aſcenſionem, perfectiſſimus.

Reſponſio.

Agmen centuriæ iſtius claudit hoc Argumentum; quod mirum non eſt, Valde enim claudicat. Nam ignoratur primum, in illo Elenchus. Aliud enim eſt Chriſtum antè ſuam in cælos aſcenſionem Dominum fuiſſe perfectiſſimum; aliud Chriſtum eſſe Deum illum unum ac ſummum. Deindè plus ponitur, in conluſione, quam fuit in præmiſſis. Additur enim in illa vox, *perfectiſſimus*, quæ in prædicato Majoris non apponitur; quam ſi apponendam intellexit, quare non appoſuit? Porrò, quid perfectiſſimi Domini nomine intelligit? Si ſummum illum Deum, qui ex ſe ipſo Dominus eſt, & autor datorque omnis Dominationis, utitur mutatione Verborum, non tantum minimè neceſſaria, ſed etiam ambiguum ſenſum reddente. quare autem addit, ante aſcenſionem ſuam in cælos? cum is qui ſummus ille Deus ſit, non ante ſuam tantum aſcenſionem, (ſi hoc de ipſo propriè dici poſſit,) ſed ſemper, & ab omni æternitate, ſummus

mus Deus fuerit. quem si perfectissimi Domini nomine intelligit, Major omni ex parte falsa est. Nam & David, quem Dominum suum vocat, *Psal.* cx. 1. à summo Deo, & nominibus, & rebus, distinguit, & Christum illum à Deo promissum suo tempore exoriturum, ac sibi quoque Dominaturum intelligit; qua de re actum est Argum. xviii. Syracides Domini sui nomine, cujus Patrem, summum Deum vocat, Regem suum tum viventem designat; cujus *vers.* 8. mentionem facit. Simili ratione Banaias, Deum, Domini sui, Regis, (Davidem intelligens,) Deum appellat, iii. *Reg.* 1. 36. est enim summus ille Deus, omnium Regum Deus & Pater; quos idcircò, & filiorum nomine compellat, *Psal.* lxxxii. 6. Hinc & Babiloniæ Regem, filium suum nominat, *Ezech.* xxi. 10. ut ex collatione *vers.* 13. & 19. apparet; an igitur Rex Syracidæ summus Deus fuit? Denique ipse D. Opponens in Minori assumit, Christum ab omnibus istis Domini nomine fuisse appellatum: Cur igitur credamus, appellatione ista summum Deum fuisse designatum? An quia Christus est summus Deus? At hoc est recurrere ad principium, & illud ipsum quod

probandum eſt, pro probatione aſſumere. Angeli etiam quem Dominum intellexerint, oſtendunt, dum eum non tantum Chriſtum expreſſè vocant, ſed etiam modo Bethlehemi natum eſſe annuntiant, *Luc.* II. II. Idem de Elizabetha dicendum eſt. Nec dum enim, ut puto, eo Sapientiæ pervenerat, ut ſummum Deum, omnium creatorem, Matrem habere, & in utero Mariæ geſtari crederet. Nathanael Regem Iſrael, nempè illum à Deo promiſſum, Dei filium, non ipſum ſummum Deum, nominat. Apoſtoli deniquè, cum Chriſtum Dominum ſuum appellarent, nihilminus cogitabant, quam ut iſta appellatione ipſum ſummum Deum intelligerent. Quem igitur perfectiſſimi Domini intelligit nomine? Non alium poteſt quam Chriſtum; is enim Dominus omnium, poſt Deum, eſt perfectiſſimus. quid igitur concludet? Id quod minimè omnium eſt in controverſia. quid inquam concludet? Chriſtum concludet eſſe Chriſtum hoc ſanè ut crederemus, nullis à nobis argumentis extorqueri fuit opus. Nequè ante aſcenſionem demum ſuam in cælos, Chriſtus fuit, ſed à promo ortu ſuo, ut iſta ipſa quæ allegantur loca docent. An illud con-

cludere

cludere voluit, Christum ante suam in cælo ascensionem, in plenissima possessione & exercitio Regni sui fuisse, in cælesti Solio, & dextris Dei sedisse? Hoc arbitror. Sed si ullam vim habent illius Argumenta, parum conclusit. Concludere debuit, Christum etiam quam primum natus est, plenissime Regnum suum possedisse & gubernasse: quam primum enim natus est, statim ab Angelis vocatur Christus, Dominus. quid? etiam cum gestaretur adhuc in utero cælum ac terram data sibi à Deo gubernavit potestate. Matrem enim Domini ad se venisse dixit Elizabeth, cum ad eam venisset Maria, Christi gravida. quid? etiam multis antequam natus est sæculis, à Dextris Dei actu ipso sedit. Nam David ante multa secula Dominum eum suum appellavit. quare igitur & natus est, si antequam nasceretur, jam Dominus, jam Christus re ipsa erat, plenissima potestate, à Deo accepta, universa gubernans? quo fine ex Infantia, ad pueritiam, ex pueritia, ad virilem perductus est ætatem, si infans adhuc & fasciis involutus, re ipsa tenuit solium illud Regale, in quo à Deo collocatus, cunctis imperabat, & Angelis, & hominibus, & vivis, & mortuis?
quo

quo fine tam multa tamquè acerba passus est, ut ad cælestem sibi gloriam à Patre destinatam, Regnique sui plenissimam perveniret possessionem? *In hoc enim*, inquit Apostolus, *& mortuus est, & resurrexit, ut mortuis & vivis dominaretur*: Rom. XIV. 9. *Hæc oportuit pati Christum*, inquit ipse, *& intrare in gloriam suam*, Luc. XXIV. 26. Non considerat D. Opponens de Christo hic agi, quatenus Christus est, ac proindè, quatenus homo factus & natus est. Christi enim appellario humanam includit naturam, sine qua, etiamsi summus Deus fuisset, Christus esse non poterat. Dicat igitur ipse, an Christus, hoc modo consideratus, non profecerit, & sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines? *Luc.* II. 52. dicat, an cum mortalis in tenis versaretur, jam fuerit immortalitatem adeptus? dicat, an in cruce pendens, jam à dextris Dei sedere fuerit jussus? dicat, an, priusquam mortuus esset, jam fuerit à mortuis resuscitatus? dicat, an, postquam resurrexit, in cælum non fuerit subvectus, cum antehac versaretur in terris? dicat, an post crucis ignominiam, gloria & honore non fuerit coronatus? *Hebr.* II. 9. dicat, an post exhaustos labores, & mortem

tole-

toleratam, nihil ipſi acceſſerit gaudii ac Majeſtatis? *Hebr.* XII. 2. Profectò qui negare auſit, Chriſto, quatenus homo fuit multa acceſſiſſe poſt mortem Diviniſſima, eumque poſt aſcenſum demum in cælos in Regali ſuo ſolio collocatum, & à dextris Dei ſedere juſſum, pleniſſimam Regni ſui poſſeſſionem gubernationemque adiiſſe; is, non ſolum Scripturis, & fidei Apoſtolicæ, quæ Chriſtum poſt mortem & deſcenſum ad inferos, & reditum ad Superos, & in cœlos aſcenſum, à dextris Dei collocat; ſed etiam ſenſibus ipſis res à Chriſto geſtas contuentibus contradicit, & Solem, meridie lucere negat. Fuit igitur ſemper Dominus perfectiſſimus Chriſtus, quà Chriſtus; ſed non eodem modo ſemper. Antequam naſceretur, imò ante ſæcula, Divina conſtitutione; poſtquam natus eſt, ante ſuam mortem, Divina electione, ſanctificatione; poſtquam crucem & mortem perpeſſus eſt, implevitque propoſitam ſibi à Patre obedientiæ conditionem, revocatus in vitam, abſolutiſſimo jure; poſtquam in cælos profectus eſt, cæleſti coronatione, & pleniſſima Regni ſibi à Deo deſtinati poſſeſſione & gubernatione. Minor Syllogiſmi de Syracide nega-

negatur, ut ex antedictis constat; nec Angeli, cum Pastoribus nunciarent, *Natus est vobis Salvator, Christus Dominus, in Civita te David*, ad vocem Domini pronomen addiderunt, quo Christi Dominatum ad se quoque pertinere dicerent: *Luc.* II, II.

Deinde faciamus ex hoc adeò claudo, valentem & firmo gressu insistentem, eoquè contra Dominum Opponentem utamur.

I. Quem David in Spiritu, nempè Prophetico, appellavit Dominum, ac proindè tanquam olim Dominaturum, Prophetæ enim de rebus eventuris vaticinabantur; David in Spiritu Prophetico Christum appellavit Dominum: *Matth.* XXII. 43. Ergo, &c.

Quin faciamus ex uno plures.

II. Si Christus præter hominem, (quanquam divinissimum,) esset summus Deus, nihil fuisset opus Christo, qua homini, quidquam ex gratia donari, propter obedientiam & crucem toleratum, imò nihil illi amplius donari potuisset. At falsum est consequens: Ergo & Antecedens, Christo enim multa ex gratia sunt donata, propter obedientiam & crucem toleratam: *Philip.* II. 6, 9, 10, II. *Hebr.* XII. 2. *Apoc.* III. 21. & alibi. Ergo, &c.

III. Si summus Deus humanam Christ naturam personaliter sibi univit, aut Christu peculiarem qua homo accepit dominationem & Majestatem, aut nullam. Nam indepen dens illa Majestas & dominatio, Divinæ na turæ propria, nulli alteri naturæ verè tribu potest. Si prius statuatur, una eademque per sona erit simul & summus Deus, & Dominu ab ipso factus, quod est absurdum. Quorsum enim Deus se ipsum faceret peculiarem & di stinctum à se ipso Dominum, qui omnem Dominatum in se habet eminentissimè? S posterius dicatur, universo contradicendum erit Euangelio, cujus summa est, Christum ex mortuis resuscitatum, à dextris Dei collo catum esse, illius pedibus omnia à Deo sub jecta esse, illum pro capite Ecclesiæ, cuju caput sit ipse summus Deus, datum esse, il thronum & regnum Davidis datum esse, il lum Dominum & Christum, id est Regem à Deo, quin & Deum, cujus Deus sit, sum mus ille Deus, factum esse, illum hæredem omnium, & Iudicem vivorum ac mortuorum quod hominis esset Filius, à Deo constitutum esse, illi Regnum datum esse, quod devicti & abolitis omnibus hostibus, ipsaque morte

De

Deo Patri est redditurus: at, quomodo redderet, si nullum accepisset? denique negabitur Iesum esse Christum, cum Christus Dei unctum, id est Regem ab ipso constitutum significet; quod & Psalmo. 11. expresse ab ipso Deo dicitur, *Ego constitui Regem meum, super Sion, montem Sanctum meum.* Nomen item illud, supra omne nomen, quod Christo post obedientiam, & propter obedientiam ad mortem usquè eamque crucis, donatum esse, docet Apostolus; aut dominationem super omnes Angelos, & super omnes homines, tàm mortuos quam vivos, Christo quâ homini datam significat; aut gloriam & promulgationem quod Christus sit ipse summus Deus. Non hoc posterius. Ergo illud prius. Consequens probatur:

1. Quia is qui summus Deus est, nullius dono, multo vero minus ulla obedientia, nedum adeò dura, opus habet, ut pro summo Deo ab omnibus agnoscatur, & inclarescat: Si vero summus Deus re ipsa non est, & quatenus non est, nomen summi Dei verè habere non potest.

2. Sequeretur Angelos ignorasse Christum esse summum Deum, ipsorum creatorem, quod absurdum est. An enim ignorarent cælestes illi

ac beati Spiritus, quis, & ubi esset ipsorum Creator, & quid cum illo factum esset? An illum adorare & linguis suis Dominum confiteri unquam desiissent? Consequentia probatur; quia quod Angeli seu supercælestes genua flectant Christo, eumque Dominum confiteantur, effectus esse dicitur Nominis istius Christo post obedientiam & propter obedientiam donati. Non igitur Christum tanquam Dominum suum adorarunt, antequam nomen istud accepit. Omnis enim effectus posterior est sua causa. Non igitur & sciverunt Christum esse summum Deum suumque creatorem. Si enim scivissent, donatione ista Nominis, ut Christum adorarent, nihil fuisset opus.

yet 3. Quia non apparent Dei Patris gloria, quam in donatione Nominis istius quæsivit, & quam Apostolus ab ipso docet esse quæsitam, nec ulla præmii magnitudo, pro tam ardua Christi obedientia. Nam eum qui summus sit Deus, pro tali notum facere, comparandum non est, sive gratiam, sive potentiam respicias, cum eo, si hominem, qui summus Deus non sit, rerum omnium cælestem Dominum Deus efficiat. Nec solus Pater Christum summum Deum esse patefecisset,

cisset, sed commune hoc illi opus fuisset cum Filio: Undè nec soli Patri hujus rei gloria in solidum deberetur, cujus æqualém partem haberet & Filius. Quod verò præmium in eo esset, si Christo non res ipsa tribueretur, sed rei tantum gloria, quæ rem ipsam sua sponte, sicut umbra corpus sequitur? Ita Christus, pro tantis laboribus & ærumnis, non rem ipsam, sed rei tantum umbram adeptus esset.

IV. Si esset aliquis Dei Filius, qui esset ipse summus Deus, isque hominem Christum induisset, omnia quæ Christus quatenus homo haberet divina, isti Filio tribuenda essent. Atqui nihil isti Filio tribuitur eorum, quæ Christus homo habet habuitque divina; sed omnia tribuuntur, Patri, tantumque abest, ut Filius quidquam dedisse dicatur Christo, seu sibi ipsi qua homini, ut Filio simpliciter omnia, à Patre data tributaque dicantur. Ergo.

V. Si Deus per hominem servare homines potuit, nihil opus fuit, ut ipse homo fieret, præsertim si impedita potius per hoc salutis nostræ ratio fuisset quam adjuta. At verum prius. Hoc enim qui negaret, Deum

esse negaret. Omnipotentem enim & sapientissimum esse negaret, qui aut non posset aut nesciret hoc facere. Ergo & posterius. Rationem autem salutis nostræ impeditam potius per hoc quam adjutam futuram fuisse, res ipsa docet. Sublata enim potius per hoc, aut imminuta in nobis fuisset salutis fiducia, quam aucta & stabilita.

Atque hæc sunt centum ista Argumenta, quæ contra divinam de Filio Dei veritatem in aciem produxit D. Opponens: quorum cum singulis, nulla vis insit, ut vidimus, quid numerus juvat, si eorum, vel centum millia colligeret? Notarum quas nullas vocant, vel maxima multitudo, nullum per se numerum conficit: tantumque abest, ut aliquid in hac oppugnatione contra nos egerit; ut plurimum veritati profuerit, palam faciens, in tanta diligentia & conquisitione Argumentorum, interque centum Argumenta, nullum repertum, vel minimæ soliditatis & efficaciæ; quin potius vix ullum esse quod pro sententia nostra converti non possit in Adversarios. Faxit Deus, ut videntes quàm fragilia sint quibus innituntur, & quam firma ac solida in quæ incurrunt, incipiant tandem, ad veri Fili

Dei

Dei, veram divinitatem oculos attollere potius, quam de eo, quid tam luculentæ veritati frustra opponant, cogitare. *Amen.*

Conclusio Universalis.

Qui dissentiuntur doctrinæ quam Romani didicerunt, hi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones seducunt corda innocentium; ait expresse S. Paulus, *Rom.*16. *vers.*17. *&* 18. Atqui Romani didicerunt, Deum trinum esse in personis, unum in Essentia: Christum esse verum Deum & Hominem: & propriè dictum Redemptorem: Spiritum S. esse veram & propriè dictam personam divinam. Ecclesiam Dei errare non posse, in eaque regenda Vicarium Christi, esse Romanum Pontificem, cui oratione sua Christus impetraverit, ut in fide Fratres suos confirmare possit. Sanctorum animas tanquam Sponsas Christi, esse honorandas: earumque orationes, ad impetrandum aliquid à Deo, per eas, expeti posse: & cætera ejusdem generis. Ergo, qui doctrinæ, ea quæ dixi asserenti, dissentiuntur, hi Christo Domino nostro non serviunt, &c. Romani

autem sibi dictum non dubitant à Spiritu S. per Apostolum; si quis vobis Euangelizaverit, præter id quod accepistis, (sive per sermonem, sive per Epistolam, 1.*Thess.*11.14.) anathema sit, *Galat.*1.9. & rursus, Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinate, & non secundum *Traditionem*, quam acceperunt à nobis, 2.*Thess.*III. 6.

Ad Majorem Dei gloriam & Honorem Deiparæ omniumque Sanctorum.

Responsio.

Romani duplicis sunt generis: Alii veteres, à viris Apostolicis primum, deindè ab ipso Apostolo edocti: Alii posteriores, ab Episcopis, temporum lapsu consequentibus, & conciliis, & Papis suis, multa quæ Apostoli non docuerant, edocti. De prioribus Major est vera, Minor falsa. De posterioribus Minor vera, Major falsa. Dogma de Deo personis trino, essentia uno, post Apostolorum demum tempora Ecclesiæ patefactum esse, ipsi vestri Authores prodiderunt. Ab

initio,

initio, & per Apostolos, id tantum personuit, Deum illum unum, excitasse Iesum hominem ex mortuis, eumque Dominum & Christum seu Regem cælestem fecisse, & Iudicem vivorum ac mortuorum constituisse, ut qui nomen ejus invocet, peccatorum remissionem, & Spiritus S. pignus, in vitæ æternæ adeptionem accipiat & sic Patris nomine, ille unus Deus; Filii nomine, non alius quàm homo Iesus Christus; Spiritus S. nomine, cæleste illud donum significabatur. Successu temporum, Patris appellatio cæpit contrahi, & pro una tantum unius Dei persona intelligi, Filii nomen in possessione secundæ unius Dei Personæ, tandem & Spiritus S. in tertiæ, collocari: quod dogma cum nullius mens capere possit, seponendum est. Christum esse verum Deum, & hominem, Apostolicum esse credimus; sed sensu Apostolico. Eundem esse proprie dictum Redemptorem, itidem credimus, Redemptoris voce similiter ex Apostolico sensu accepta: pro eo qui sanguinem suum, omni auro pretiosiorem, fudit, ut liberaret à peccatorum reatu & servitute, non qui pecuniam numerat, aut aurum pendit. Spiritus S. si Deum ipsum

significare dicatur, haud dubie persona est; sed si pro cælesti illo dono, *Luc* XI. 13. *Actor.* VIII. 20 *&* XI. 17. *&* XV. 8. *Hebr.* II. 4. pro Dei afflatu, *Iob.* XXXII. 8. *Actor.* II. 2. pro Dei virtute, *Luc.* XXIV. 50. *Actor.* X. 38. & futuræ hæreditatis arrhabone & signaculo, II *Corint.* I. 2. *Ephes.* I. 13, 14. Si, inquam, hoc sensu Spiritus S. accipiatur, ut in S. L. accipitur, vos ipsi dicite quod vobis videatur?

Ecclesiam Dei errare non posse, non docuit is, qui Universalem & Catholicam in Ecclesia prædixit Apostasiam, II. *Thess.* II. 3, 4. Et, si Ecclesia errare non possit, cur possit peccare, & in vitia degenerare? Nam ex moribus depravatis, etiam doctrinæ depravatio oritur, II. *Tim.* IV. 3, 4. Romanum Pontificem esse Christi in regenda Ecclesia vicarium, eorum est dicere, qui Romanum Pontificem omnibus Episcopis functione dicunt esse superiorem, qui eum Dominum, qui Caput Ecclesiæ visibile, qui Patrem beatissimum, qui Papam, id est Patrem absolutè appellant, etiam ultra id quod Christus discipulos suos facere, aperte prohibuit, *Matth.* XXIII. 9. qui unum hominem mortalem, uni-
versam

versam in terris Ecclesiam regere posse, Regem autem cælestem & immortalem regere non posse putant. Cur enim Vicarium talem adhiberet? cur sine isto vicario, per famulos ac Ministros suos Ecclesiam non regeret? vicissimque & illos per Ecclesiam; omnes autem, qui regi volunt, per verbum & Spiritum suum? An talia ullus Apostolorum docuit? An ullus eorum aliis sese functione ac munere superiorem tulit? Id quidem vos de Petro dicitis; sed neque Christus id Petro tribuit usquam, nec Apostolorum ullus, nec Petrus sibi arrogavit. Paulus certè, & se, & Petrum, & omnes alios Ecclesiæ Ministros, infra Ecclesiam collocat, 1. *Cor*. III. 22. quippè Ecclesiæ membra, sub uno Capite Christo. Unius enim corporis, unum est Caput. Apostolos etiam omnes, tanquam primum in Ecclesia Ordinem, in pari officii gradu collocat, 1. *Corint*. XII. 28. *Ephes*. IV. 11. sicut & Prophetas & Euangelistas, & alios, qui sequuntur, Ecclesiæ Ordines. Idem, nihil sibi differre, proindè nihil hoc ad se spectare, ait, qualiscunque, sive Petrus, sive alii in Ecclesia eminentes Viri fuerint, *Galat*. II. 6. quod dicere, sine crimine non posset, si Petro, tanquam

quam universali omnium Episcoporum Episcopo, & se longè superiori, tenebatur esse subjectus. Hinc & Petrum liberrimè à se reprehensum dicit, ut se parem esse Petro muneris dignitate doceret: *vers.* 11. & sequen. Ipse Petrus compresbyterum sese nominat aliorum, 1. *Petr.* v. 1. & solum Christum, Pastorum Principem appellat, *vers.* 4. quin ommibus, ut alii aliis sese subjiciant præcipit, *vers.* 5. Proindè neminem in Ecclesia ita superiorem esse vult aliis, ut non idem etiam subjicere sese debeat aliis. Quod Christus oraverit pro Petro, ne fides ejus, quæ gravem passura erat crisin, deficeret, quodque is post casum suum conversus, fratres erat (non sibi subjectos) confirmaturus, *Luc.* XXII. 32, quid hæc, inquam, specialis pro Petro oratio, ad Romanum Pontificem? sicut & alia omnia, quæ Petro specialiter Christus indulsit?

Sanctorum animas Christi sponsas appellari, in Scripturis legisse non memini. Unam esse Christi sponsam legi, non multas: Sanctos honorandos esse honorifica memoria & imitatione fateor; sed animas eorum corpore solutas, orationes pro nobis ad Deum fundere, multo verò minus nostras ad se preces exau-

exaudire posse, nusquam apud Apostolos reperio; apud quos, Paracletum, non Paracletos habere nos apud Patrem, lego, Iesum Christum, justum, 1.*Ioan.* 11. 2. qui solus sine labe peccati fuit, nec ullius ipse deprecationibus pro se indiguit, ad hunc solum ipsos Sanctos dum viverent confugisse video. Iidem ab arbitraria divini honoris communicatione nos vel maximè arcent; sine qua animæ mortuorum invocari & supplicibus votis coli, non possunt. hinc & apud omnes Autores tam Græcos quam Latinos, quibus talis cultus decernebatur, in Deorum numerum referri, & Dii fieri dicebantur. Non minus, quod hujus rei consequens est, imaginum cultus religiosus ab Apostolis damnatur. Cujus enim imaginem religiose colere fas fuerit, si illum ipsum sit nefas? tum etiam quod imaginibus & simulachris, humana manu factis, solius mortalis & caduci corporis, à cujus concretione celestes mentes longissimè absunt, externa species, muta & inanima, idque haud unquam ex vero efformatur. *Genus Dei*, inquit Apostolus, *cum simus, non debemus existimare, auro aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum esse simile,*

Actor.

Actor. XVII. 29. Haud dubiè etiam Romanis dictum est, *Si quis vobis Euangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit*, sed qui nunc sunt Romani, anathema iis dicunt, qui præter id quod ab Apostolis acceptum est, nihil recipiunt. Frustra autem ex verbis Apostoli ad Thessal. quæ istis ad Galatas inseruit, colligi posse putat, non omnia ab Apostolis scripta esse; quæ ad eorum doctrinam pertineant. Neque enim sequitur, si Thessalonicensibus partem dixit, partem scripsit, Apostolus; idcircò aliis, ad alios, ejusdem Apostoli, & aliorum omnium divinorum Autorum scriptis, adjunctis, non contineri in iis plenam æternæ salutis adipiscendæ doctrinam. quorsum enim tam multa nobis divina providentia Sanctorum hominem conservasset Scripta, nisi ut ex iis tanquam ex puris fontibus salutarem hauriremus doctrinam? saltem, ut ex hac norma facile intelligeremus, quid adscititium esset, & nobis sub Apostolicæ traditionis nomine, falso sese venditaret? Frustra item alium ex eadem ad Thessalonicenses textum describens, vocem Traditionis majusculis signavit litteris, cum traditionis vox, non minus ad ea quæ ~~ex~~scribuntur, quàm

quàm quæ dicuntur pertineat, ut ex his ipsis, quæ ipse inseruit verbis, videre est, II. *Thessal.* II. 15. Et hoc sane loco Apostolus ad id quod priore tradiderat Epistola respexit, I. *Thessal.* IV. 11, 12.

Quàm verò tenax sit Apostolicarum traditionum D. Opponens, docuit extremo Epilogo, *Ad gloriam Dei & honorem Deiparæ omniumque Sanctorum.* Quis Apostolorum, Christi Matrem, Deiparam appellavit? Et si enim non nudum hominem peperit, sed Deum hominem, seu hominem divinissimum, quippè ex Spiritu S. & Virtute Altissimi conceptum, & ad divinam potestatem evehendum, ac porro evectum; quia tamen vox Dei absolutè & subjectivè posita, summum Deum designat, nusquam in Scripturis Deiparæ, aut Mattris Dei nomine appellata est, ne summus ille Deus, rerum omnium conditor immensus & æternus, Matrem ac Parentem habuisse, statui videatur; tantum abest ut Apostolorum ullus id reipsa statuerit, dixeritve. Quis item Apostolorum ulli, præter quam Deo & Christo, aut una cum Deo & Christo, tanquam cæliti, res mortalium spectanti, votaque eorum audienti, honorem detulit, deferendumquè

que esse dixit? Ullus ne unquam istis laudibus Christiparam & Sanctos affecit? & non potius, unicum nobis, post summum Deum, cælestem commonstrans Dominum, Iesum Christum, ab omnium aliorum cælesti cultu & honore nos arcuit? Nos igitur stylo concludamus Apostolico; *Soli Sapienti Deo, per Iesum Christum, gloria & honor in secula seculorum Amen.* Rom. XVI. 27. & 1. Tim. 1. 17. Addamus in super & Ioannis Apostoli monitum; *Vos quod audivistis ab initio, in Vobis maneat. Si in vobis maneat, quod ab initio audivistis, & vos in Filio, & in Patre manebitis;* 1. Ioan. II. 24. *Amen.*

ELENCHUS

ELENCHUS
LOCORVM SCRIPTVRÆ
Quæ in hac Centuria Argumentorum cæsa explicantur vel cursim attinguntur.

XI

Cap.	Vers.	Arg.
XI.	2.	2
XIII.	9,10.	62
XXV.	4.	26
xli,	4,	21
xlii.	6.	43
xliii.	10,19,24.	23
xliv.	3.	68
Ibid.	6.	21
xlv.	13, ad 18.	24
Ibid.	23.	64
xlviii.	12.	21
Ibid.	13,16.	25
LI.	16.	84
liii.	1.	81
Ibid.	5.	23
lv.	9.	13
lx.	3.	42
Ibid.	19.	43
lxi.	1.	16
lxv.	17, 18.	84
lxvi.	15, 16.	62
Ibid.	22.	84
	Ieremias.	
X.	11.	95

Cap.	Vers,	Arg.
XI.	20.	28
XIV.	8.	27
XVII.	5.	10
Ibid.	10.	28
XXIII.	5,6.	29
XXXII.	40.	39
	Lamentationes.	
III,	24,	27
IV,	20,	23
	Ezechiel,	
XXI,	10,13,19.	100
XXIV,	23,24,	57
XXXII,	7,	62
XXXIII,	16,	29
XXXVII,	23,24,25,	57
xliii,	2,4,	36
xlviii,	ult.	13,29
	Daniel.	
VII.	13,14,	70
	Oseas,	
I,	7,	44
VI,	6,	35
	Baruch.	
III,	37,28,36,38	49

Cap,	Vers,	Arg.
IV,	1,	20,49
	Michas.	
V,	2,	87
VII,	7,	27
	Habacuc.	
III,	18,19,	41
	Zacharias.	
II,	3,4,5,	16
Ibid,	8,	16,66
Ibid,	10,	17
III,	a 1, ad 12.	16
XII,	10,	66
XIV,	5,	62
Ibid,	9,16,17,	63
	Malachias.	
III,	1,	50,51
	Ecclesiasticus.	
XXIV,	5,	76
Ibid,	8,10,25,	20
LI,	8,14,	100
	Mattheus.	
II,	2,	42
Ibid,	11,	24
III,	6,	52
Cap.	**Vers.**	**Arg.**
IV,	10,	32
Ibid,	11,	24
Ibid,	16,	42,43
VIII,	17,	23
IX,	3,	23
Ibid,	4,	83
Ibid,	6,	23
Ibid,	13,	35
Ibid,	14,	46
XI,	2,	46
Ibid,	3,	26
Ibid,	27,	14
XII,	8,	47
Ibid,	25,	83
Ibid,	28,	2
XIV,	3,32,	74
XVI,	25,	XII
Ibid,	27,	37,53
Ibid,	28,	69
XIX,	16,	7
XX,	28,	8
XXI,	13,	5
Ibid,	42,	2
XXII,	42,	1

Ibid

Cap.	Vers.	Arg.
Ibid,	44,	100
Ibid,	48,	9
XXIII,	8,	(pag. 3.) 46
Ibid,	9,	*Conclus*,
Ibid,	10,	46
Ibid,	34,37	90
XXIV,	29,	62.
Ibid,	36,	82
XXV,	34,	4
Ibid,	40,	66
XXVIII,	18,	1
	Marcus.	
II,	7,	23
Ibid,	8,	2,83
Ibid,	10,12,	23
Ibid,	28,	47
III,	33,	9
VIII,	17,	83
Ibid,	35,	12
X,	18,	75
Ibid.	45,	80
XI,	15,	50
XII,	10,	22

Cap.	Vers.	Arg.
Ibid,	14,	2
Ibid,	30,	16,32
Ibid,	32,	71
Ibid,	33,	32
XIII,	24,	62
Ibid,	32,	82
XVI,	19,	18
	Lucas.	
I,	17,	51
Ibid,	32,33,	53
Ibid,	43,	100
Ibid,	78,	43
II,	11,	100
Ibid,	32,	43
Ibid,	49,51.	9
Ibid,	52,	100
IV,	17,	16
V,	22,	83
Ibid,	24,26,	23
VI,	15,	47
Ibid,	8,	83
VIII,	39,	61
IX,	27,	69

Cap,	Vers,	Arg.
x,	21,	13
Ibid,	22,	14
XI	13,	*Conclus,*
Ibid,	49,	90
XVI,	19,	83
XVIII,	19,	75
XIX,	46,	50
XX,	17,	22
Ibid,	41,	18
XXI,	25,	62
XXII,	32,	*Conclus,*
XXIV,	26. 87,	100
Ibid,	49,	68
		Conclus.

Ioannes.

I,	I,	7,76,88
Ibid,	2,	76
Ibid,	3,	94,
Ibid,	9,	42
Ibid,	9, ad 14,	7
Ibid,	10,	20
Ibid,	11,	17
Ibid,	12,	12
Ibid,	14.	6,17,31

Cap.	Vers.	Arg.
Ibid,	18,	6,45
Ibid,	29,	23
Ibid,	50,	100
II,	4,	9
III,	2	61
Ibid,	13,	5
Ibid,	17,	16
Ibid,	31,	34
Ibid,	35,	47,77
IV,	10,	23
Ibid,	14,	3,23
V,	18,	6
Ibid,	18 ad 22,	78
Ibid,	19.	26,61,81
Ibid.	20,	81
Ibid,	21	33,62
Ibid,	22,23,	99
Ibid,	26,	33,78,99
Ibid,	27,	83,99
Ibid,	30,	26,61,78, 99
Ibid,	31	2
Ibid,	39,	51
VI,	37,39,	57

Ibid,

Cap,	Vers,	Arg,
Ibid,	46,	11
Ibid,	57,	7
Ibid,	62,	5
VII,	18,	2
Ibid,	29,	13
Ibid,	37,38,	23
VIII,	14,	2
Ibid.	24,28,	45
Ibid,	58,	4,45
IX,	38,	24
X,	11,	85,58
Ibid,	15,	13,85
Ibid,	17,18,	12
Ibid,	29,	57
Ibid,	30,	3
Ibid,	32,	61
Ibid,	33,	3
Ibid,	37,	61
Ibid,	38,	3
XII,	26	5
Ibid,	36,	67
Ibid,	38,	81
Ibid,	41,	67
XIII,	3,	77
Ibid,	13,	100

Cap.	Vers.	Arg.
Ibid,	18,	98
Ibid,	19,	4,45
XIV,	3	5
Ibid,	6	2
Ibid,	10	3,61
Ibid,	11	3
Ibid,	16,23,	89
Ibid,	28,	19,34
Ibid,	29,	4
XV,	16,19,	98
Ibid,	21,22,	61
XVI,	4,5,	5
Ibid,	7,	92
Ibid,	15,	77
Ibid,	18,	5
Ibid,	30,	82
XVII,	2,	53,77
Ibid,	3,	54
Ibid,	5.	4,20,55,87
Ibid,	6 ad 12,	57
Ibid,	7,10,	77
Ibid,	11,12,13,	5
Ibid,	12,21,	3
Ibid,	24.	4,5,55,57

X.

Cap,	Vers,	Arg,
X,	16,	81
XV,	33,34,	24
XIV,	9,7,38,39,100	
Ibid,	11,	38,64
XVI,	17,18,	*conclus.*
Ibid,	27,	99

1. *Ad Corinthios.*

Cap,	Vers,	Arg,
I,	13,	46
II,	8.	36
Ibid,	15,	82
III,	13,	7
Ibid,	17,	89
Ibid,	21,22.	82. *conclus.*
Ibid,	23,	70
VI,	9.10,	93
Ibid.	17,	3
Ibid.	19.	89
VIII.	5.	74
Ibid,	6,	1,99
Ibid.	23.	48.72
X.	2,	46
Ibid.	6.9.12.	30
Ibid.	16,17,	3
XI.	3,	19.70,91

Cap.	Vers.	Arg.
XII,	totum	3
Ibid.	28.	*Conclus.*
XIII,	23,	19
XV.	24,25,26,	94
Ibid,	26,	34
Ibid,	27,	13.34
Ibid,	28,	72
Ibid,	45.	1
Ibid,	48,49,53,54,55	52

2. *Ad corinthios.*

Cap.	Vers.	Arg.
I,	22,	*conclus.*
V,	17,18,	48
Ibid,	19,	26
VIII,	9,	15
XII,	2,4.	11
XIII,	13.	(pag.4.)

Ad Galatas.

Cap.	Vers.	Arg.
I,	1,	2
Ibid,	9,	*conclus.*
Ibid,	13,	91
II,	6,11.	*conclus.*
Ibid,	16.	98
III,	29,	4

I.

Cap.	Vers.	Arg.	Cap.	Vers.	Arg
IV.	5,6.	7	XVII.	14,	70
Ibid.	8.	67.81	XIX,	16.	74
Ibid.	9,10.	7,81	Ibid,	11,	2
Ibid,	11,	20.81,94	Ibid,	16,	70
V.	totum	7, 99	XX,	6,	99
VI,	12,	7,62	Ibid,	28.	79
Ibid.	16,	7	XXII.	3,4,	7
VII,	9.10,17,	7	Ibid,	5.	42
VIII,	1.	7	Ibid,	6.	40
XI,	17,	81	Ibid,	8,9.	74
XIV.	1,2,4,5,	7	Ibid,	13,	21.48
Ibid.	7,	94	Ibid.	16,	40

Errata typographica ſic corrigantur.

pag,	lin.	errores.	correctiones.
12.	20.	6	8.
14.	ult.	luco	loco
16.	3.		ullum medium
24.	24.	vocaſſe	vacaſſe
57.	19.	doctis	dictis
65.	4.	mentum	mentem
71.	2.	μορὴ	μορφὴ
72.	22.	dixiſſe	duxiſſe
91.	9,	minine	minime
94.	13.	*Mar.* 11.	Mar. III.
102	22.	perobare	probare.

pag,	lin.	errores,	correctiones.
105.	11.	20.	25.
108	2,	nonunatem	nominatum
118.	,3.	Regum	Regem
120.	2,	res nativitis	ros nativitatis
	8.	Sanctitatio	Sanctitatis
123.	11.	v.1.	v. 11.
130.	4.	v, 29.	v. 33.
	7.		παυ]ολογίζει. Vsi
131.	20.	v. 57.	v. 7.
	6.	10.	6.
134.	4,	lavissæ	lavisse
141.	2.	distinctiam	distinctam.
166.	13.	cap. 6.	cap. 60.
167.	16.	xix.	xxi
169.	6.	*Luc.* 2.	*Luc.* 1.
	22.	Dominus	Dominos
170.	ult.	Joannis	Joanne
		cap. 1.8.	cap. 1, 18.
173.	19.	Joh. 3, 33.	Joh. 3. 35.
174.	1.	et	est.
177.	21.	Matt. 22.	Matt. xxi.
181.	5.	selet	solet
191.	19.	xvii, 3.	xvii, 31.
216.	11.	de quæ agimus, ac	de qua agimus, ad 218.

pag.	lin.	errores.	correctiones.
218.	18.	menrio.	merito.
221.	21.	dele non.	
223.	13.	fuerat.	fuerit.
228.	5.	28.	18.
235.	18.	qui.	qnæ
	20.	habet.	habes
238.	14.	quad,	quod
239.	20.	c.8. v. 6.	c. 8. v. 17.
246.	ult.	infimita	infinita.
247.	7.	capit	capi.
249.	16.	vicebant	vivebant
252.	11.	4. v. 6.	10. v. 6.
258.	3.	ſit	ſint.
259.	4.	re	rei
260.	14.	præſerendum	præferendum
264.	4.	retione	ratione
267.	25.	promo	primo
269,	17.	tenis	terris
271,	20.	denari	donari
273.	1.	Deo patri &	Deo & patri
284.	17.	hominem	hominum.